











POETICA
IACOBI GADDII
CORONA

E selectis Poematijs, Notis, Allegorijs contexta.



Bononiæ Typis Iacobi Montij.
MDCXXXVII.
Superiorum permißu.



AD CHRISTVM D.

PRO

FERDINANDI II.

MAGNI DVCIS ETRVR. V.

ac Florentię Fœlicitate.

HYMNVS.



HRISTE seruati dominator orbis,
Qui vices rerum varias perennè,
Prona qui cogis famulante volui
Sydera cursu.
Qui iubes Phœbum roseas quadrigas
Luce, & ardentes agitare crines;
Nocte stellarum choreas sororem
Ducere Phœben.
Quique brumales properare luces
Cogis, æstiuosque dies morari
Longiùs certa, stabilique frenans
Tempora lege.
Fronde qui velas frutices virenti,

Hymnus hic, & Dithyrâbus, siue Pęan succedens me inuitant, vt de huiusmodi genere Poematum aliquid scribam.

Ponatur horum veluti Genus Cātio, seu Ode Encomiastica, seu Demonstratiua, quæ laudes insignium virorum; Heroum, & (si Dijs placet) Deorum: atq; rerum gestarum narrationes complectetur, siuè POesis LYrica NObilis, seu GRauis, cuius species.

Epinicia quę in certaminibus victori canebantur.

Dithyrambi in honorem Liberi patris compositi, mox Apollinis, & virorum etiam.

Pęa-

Flore qui pingis radiante prata,
Quique fœcundis opulenta veſtis
Meſsibus arua.
Qui ſalum gemmis decoras auaris,
Qui facis ponti liquidum ſecare
Squameam turbam, mare quæ per altum
Explicat alas.
Qui iubes leni Zephyros volatu
Vere florentes aluiſſe cœtus,
At Notum ſalſis liquidas in aruis
Tollere moles.
Qui reluctantis furioſa Ditis
Monſtra debellans Acheronta frænas,
Regnaque altrici viduata ſolis
Luce parentis,
Quique deformes ſcelerum cateruas
Frangis, Heroumque animas piorum
Labe cognata viduas beatis
Sedibus inſers.
Cerne præſenti generoſa vultu
Corda florentis patriæ, ducemque
Redde ſœlicem precor, & patres, &
Agmina plebis.
Tempus in fuluum redeat metallum,
Ferreæ cedant ſcelerum phalanges,
Ac dolor, luctus, gemitus Tyranni
Pectoris acres.
Cedat & peſtis, grauis ac egeſtas:
Audior; Cœlo chorus è patenti
Labitur dius, facilique tranat

Ag-

Pęanes, quibus gratulabantur Dijs pro victoria in prælijs; tamen viris etiam fortibus dabatur id, vt tradit Scaliger lib 1.cap.44 Poet. à quibus nec pedibus, nec numeris differebant.

Scolia, in quibus virorum fortium laudationes continebantnr, quæ σκολιὰ μελη vocata canebantur in cõuiuijs.

Hymni, qui ad aras Dijs dicebantur, nunc verò vero Deo, Diuiſq; ſimiles, diſſimileſq; canuntur in ſacris ædibus, vel cani poſſunt.

Odæ Heroicæ, quæ geſta, aut natalia fabuloſa Heroum celebrant.

Odæ hiſtoricę, quę inſignia facta, dicta, mores hominum excellentium breuiter, ac ſyncerè canunt. Has à nemine antea, quod ſciré, ſcriptas inueni, & adhibui olim in opere hiſtorico varijs carminum generibus ornato.

Odæ morales .ſ Parę neticæ, quæ præcepta continent ſapientiæ, vel Nutheticæ, quæ modi, cuiuſcumq; complectuntur admonitiones, vel Paramytheticæ, quæ cõſolantur aliquem ad animi compoſitionem; atq; tranquillitàtem adhortantes.

Addidi LYricæ NObilis, ſeu GRAuis nomen reſtringens ad excludendam illam LYricam, quę obſcęnos amores, leuiſſimos luſus, aliaq; argumenta inutilia, & indigna NObili, GRAuique

Poe-

Agmine nubes.
En fides velo radians niuali,
En soror veri Dea concolori
Veste præsignis repetit sacrati
Principis arces.
Quæque fœcundo resoluta cornu
Fundit immensas & opes, honores
Que, ac reluctantes animi coercet
Quæ pede turbas:
Mitis ac Orbis gemini Imperatrix,
Quæ feros ritus fugat in niuosas
Caucasi rupes minus hospitalis
Parcere docta;
Pacis, æquæuique parens amoris,
Ciuium nutrix, dominique robur,
Ac decus, terræ lepor, & voluptas
Alma Tonantis.

In Bacchi laudem.

NEctite bacciferis iuuenilia tempora sertis,
Et validas thyrsis armate viretibus vlnas,
Et vagos hedera impedite crines.
Lux genialis adest patri deuota Lyæo,
Candida turba faue;
Nemo festum violare diem
Audeat, vltrici manu,
Velut furentes Mænades,
Pectora victori laniabimus impia thyrso.
At procul este prophani,

Poeta, cuius finis cum Politici fine conspirat; complectitur Syren canora læthaliter.

Genus à me positum præstantia superat alia genera POeseos vniuersæ (hæc veluti Genus generalissimum, vt Logici dicerent, continet genera subalterna) maximasque laudes meretur.

Hoc videbitur multis Paradoxon Poeticum, videatur, dummodo sit rationi, ac veritati consentaneum, vt meum probabit argumentum.

Nemo sanè inficiabitur, illud Poeseos genus esse præstantius, & laudabilius, quod est magis honestum, vtile, ac delectabile, sed huiuscemodi est LYricum ijs terminis à me circunscriptum.

Ergo præstantius hoc erit, atque laudabilius.

Patebit facilè veritas minoris propositionis reputanti secum argumenta, de quibus agit Hymnorum, Scoliorum, Pęanum, Dithyramborum, odarum heroicarum, &c. scriptor quę sunt, vel Diuina, vel proxima Diuinis, quippè de Deo, de Diuis, de viris excellentibus integritate, virtute, sapientia, optimè de patria, deque humano genere meritis agit, quos laudans iustissimè agit persoluens virtuti debitum præmium, & alios honesta gloriæ cupidine excitans ad virtutem, ad facinora gloriosa ingenti cum vtilitate Reip.

Hymnorum ego tres ponerem species simplices,

ecs, cum ad has reducantur ferè omnes, ſcilicet Exornatiuam, ſiuè Encomiaſticam, Votiuam, ſeu precatoriam, Euchariſticā, videlicet Gratias agentem. ſiquidem Hymnographus, vel laudat Deū, ac Deo proximos, nimirum Deiparā, Diuos, &c. vel Gratias agit de gratijs, ac beneficijs in priuatam, aut in publicam rem liberaliter effuſis.

Vel precatur, vt placētur, & arceant à Principe, à Ciuitate, à Regno; ab Orbe terrarum vniuerſo famem, bella, peſtes, aliaſque clades, & calamitates; vt cęleſtia dona, humana bona, fęlicitatem largiantur.

His quid sāctius, quid iuſtius, quid honeſtius, quid cōducibilius ad Religionis firmamentum, ac decus, ad priuatorum ſalutem, ad publicam fęlicitatem?

Confer nunc argumēta Comicorum, Tragicorū, & etiam, ſi placet, Epicorum (omitto Satyricos, alioſq; Poetas minimæ dignitatis, & amplitudinis,

Ridiculum, videretur conferre Ridicula, & amores, & ſcōmata Comicorum cum grauiſſimis rebus, cum honeſtiſſimis, cum Diuinis.

Iniquum eſſet tyrannorum, & aliorum non optimorum caſus, & acta Diuinis æquare, aut ſaltem optimis.

Iniquum etiam eſſet Deo, Diuiſq; immortalibus mortales, vel excellentes æquare, qui viden-

Ne maculet niueam tempeſtas horrida lucem,
Procul hinc Deus cruentus,
Procul arma nata Marte,
Procul arma fœta Morte,
Abſint martia fulmina,
Abſint bellica fulgura,
Abſint, & galeæ leues,
Arcuſque truces, enſeſque truces;
Non hic minantem Martis, ac mortis tuba
Sonitum rauco murmure fundat,
Sed prædulcis tibia reſonet,
Blandiuſque tympanum remugiat,
Pulſumque crebris cymbalum ictibus crepet.
Age bacchæa fronde reuincta
Bacchica pubes
Cane ſolemni voce Lyæum.
Age bacchæa
Nebride lætum præcincta latus
Lenæia pubes
Inclyta Bacchi ſtemmata recine.
Age victrix cane pæan. Io Pæan, Io Pæan.
Candide Liber ades frontem redimite corymbis,
Ambroſias viridi nexe comas hedera:
Te decet flauos variare Veris
Sydere crines.
Te caput picta cohibere mitra,
Et laboratis vigili metallo,
Luce quas oſtrum roſea coloret,
Veſtibus velare humeros niuales,
Formoſæ proles ò Semelis,

Pro-

Proles altitonantis Iouis,
Ignigena, iterumque ſatus,
Vnicuſque bimater,
Intonſuſque Thyoneus;
Tu Rex Eubie Baßareu,
Nyctileuſque, Nyſeuſque, Bromiuſque,
Et Iacchus, & Lenæus, & Lyæus, & Euan,
Pater, biformis, Nomie,
Oreodrome, ſemitalis,
Agriota, Barymeni,
Vnum centinomen numen.
Tu Nympharum humoripotentum
Alumne, tu vini creator;
Et amoris excitator,
Et Apollinis patrone,
Cuius æſtrum gratiori
Igneus ingeminas furore:
Menteſque vatum nectare feruido
Ebrias cælum ſuper, ac remota
Sydera tollens
Myſterijs ſaturas beatis,
Tu puer æterno pubeſcens flore iuuentæ
Propinas miſeræ iucunda obliuia vitæ.
Non tibi ſunt triſtes, quæ rodunt pectora curæ,
Non timor infelix, luctuſque, graueſque querelæ,
Non rabidus liuor, non agmina fæta dolorum:
Te ſequitur facilis riſus, tenerique lepores,
Cognatique ioci, ludique, ac viua voluptas,
Te Genius, te cantus, amor, ſatyrique ſequuntur,
Diuinoque ſimul furibundæ Thyades æſtro

My-

dētur ab Epicis cani: nec temerè dixi VIdentur, cum verè non ſint, vel nō formētur excellētis perfectionis, qui canuntur à præcipuis Epicis.

Teſtis Vlyſſes callidus, ſubdolus, & fallax, non prudens verè, non ſapiēs, timidus nō rarò, & fugax, & aliquando intēperans, ſcilicet ventri, & ſomno nimis deditus, qui longiſſimè dormiens dormientem maximè, ac ſomniantem oſtendit Poetam cęcum. Teſtis Achilles.

Inuidus, iracundus, inexorabilis, cuius irā duplicem duplici ex cauſa ortam, vtraque inhoneſta canit, quem intemperantem, & muliebriter flentem, illiberalem, ne dicam auarum, aut mercenarium ducem; parùm religioſum, imò impium, nimium elatum, contumacem, & ſæuū aliquando formauit Homerus, qui non ſolum Achilli, Agamennoni Regi, Imperatori Gręcorū, alijſque proceribus mortalibus, ſed immortalibus Deis, Deorumque Regi, vel falſo, indigna, & pudenda tribuit nō imprudens modò, ſed impudēs, & impius aliquandò; licet enim vera non eſſent Numina Iuppiter, & alij, ſed fabuloſa, & ridicula lacrymabilis illius ætatis, tamen cum colerentur, & crederentur vti vera, hæc non debebat effingere fęda, & ſcelerata, maximam in fraudem auditorum, ſiuè lectorū Homericæ Poeſis, qui

vera

vera ignorata, vel religionem omnem exuissent, contemnentes, & irridētes eiusmodi Deos adeò scelestos, atque nephandos; vel horum exemplo, veluti clypeo muniti se se dedidissent hostibus virtutis, ac Religionis verę, Amori obsceno, cupiditati regnādi non moderatæ, inuidiæ, impietati. Itaq; meritò damnatus fuit Homerus, vt etiam Hesiodus, & Aeschylus à Diuino Philosopho in lib. de Rep. sec. ac 3. & à scriptoribus alijs.

Nec iniuria L. drachmis mulctatus fuit ab Athen. illum insanire iudicantibus, quòd Deos cum hominibus belligerantes in suis carminibus induxisset.

Testis Rolandus Furens, cuius furorem vna cum eiusdem, & aliorum procerum amore, armisque canit Marti Venerem coniungens Homerus Ferrariensis, qui in Poema multis nominibus laudandum simul, atque vituperandum multa congessit inutilia, vel perniciosa moribus, & à morum, ac Poetarū censore damnanda; cum suprà obscenos amores vanissima scribat aliquando figmenta minimè cōsona Sacrosanctæ Religioni, integritati ciuili, ac doctrinæ sapientum.

Testis Adonis Marini Poema, vel Mare lasciuiæ, licet in hoc sparsa sint non pauca laudibus digna, quę non officiant moribus, sed prosint non pa-

Mystica sacratis celebrantes Orgia cistis,
Quique rudi senior nutricius hæret asello
Rubra racemiferis deuinctus tempora sertis,
Inflatusque tuo feruentes munere venas.
Tu Gnossiacæ coniugis auream
Pingis noueno sydere, & orbibus
Inseris æthereis coronam,
Tibi sacrilegum Penthea mater
Cruenta Agaue strauit, & vulsum caput
Fuit contempti victima Numinis.
Te, qui triplici Cerberus ore
Tonat horrendi ianitor Orci,
Placidus vidit, docilis rabidum
Ponere murmur, tetigitque pedes,
Et crura tibi mitior agno.
Insanientes agmine barbaro
Dura in robora matres
Vertis, quæ Vatem Threïciæ plagæ
Aurita saxa secum
Dociles, & imperanti
Syluas lyra trahentem,
Zephyrosque præuolantes,
Fluuiosque flexuosos,
Volucresque commorantem
Dulcisonum iratis laniarunt Orphea thyrsis,
Membraque sparserunt querulos discerpta per agros.
Tu contemptorem prosternis Bacche Lycurgum,
Tu contemptrices fædis Mineidas alis
Inuoluis geminis permutans corda figuris
Impia, quæ vetito violarunt Orgia fuso,

Tu prædatores fallacia pectora nautas
In mare præcipitas, dùm vernat palmite nauis,
Carbasa dùm cohibet vitis, dùmque Inda virenti
Puppe sedet Tigris, dùm remos fronde tenaces
Impediunt hederæ, dùm prora Leonibus horret,
Iamque noua scindunt cauda tot cærula pisces,
Quot prius ære truces findebant æquora nautæ,
Tu coniuratos in mœnia sacra gigantes
Bellator Lybici fœlicior vngue Leonis
In præceps ruis ætherea plaudente corona,
Tu debellatis Eeois gentibus, amne
Quas beat aurifero Ganges, quas ambit Hydaspes,
Quas puer illustrat nascenti lumine Phœbus
Sub iuga vitigeras Tigres, docilesque leænas,
Victor agis, vinctasque aureis compescis habenis,
Atque triumphali vectus per ditia curru
Regna catenatos submittis fascibus Indos,
Age Bacchæa fronde reuincta,
O lenæia pubes,
Age Bacchæa nebride tenerum
Præcincta latus
Bacchica pubes,
Cane solemni voce Lyæum,
Age victrix, cane Pæan
Io Pæan, Pæan Io.
Cynthius æquæuum rosea dùm lampade Mundum
Lustrabit, dùm nocte vagos per inania currus
Ducet, & astriferos argentea Cynthia cætus,
Dùm pascet cognata parens animalia tellus,
Dùm volucrum patrio volitabit in aere turba,
Dùm

parũ tyronibus eloquentiæ, ac Poeseos Etruscæ candidatis.

Omitto alios Etruscos Epicos, quorum Poemata non legi omnia.

Superest Torq. Tassus, qui hos in scopulos incidit ferè nunquàm, vt etiam latinæ regnator Epopeiæ, modestissimus, prudentissimus, excellẽtissimus Epicorum quot sunt, quot fuerunt. Tamen vterque non semper exprimit perfectos Heroas, quos celebrat.

Reliquum est, vt confirmem nouissimam argumenti particulam, scilicet esse magis delectabilem Poesim Lyricam à me definitam, quàm Epica, Tragica, Comica sint Poemata.

Esse illã Poemate Heroico, facilè dabit, quisquis animaduerterit, maiorem, imò germanam, & synceram delectationem hauriri ex eis, quæ non afferunt satietatem: sed hæc affertur non ab Hymnis, Pęanibus, Dithyrãbis, Scholijs, Odis excellentibus, sed à Poematibus heroicis, quippè longis, & sine varietate metrorum (hęc penè semper adest nuper memoratis carminibus) quãtumuis excellẽtibus.

Ego quidem certè, nec Tassi, nec fortè Virgilij, aut aliorum Epicorum librum integrum legi (ni me fallat memoria) sine aliqua satietate, & ipsemet legi pluriès plura Lyrica, Etrusca, & Latina sine satietate, magnaque cum delectatione.

At

At dicat aliquis, quomodo delectabiliorem Comedia probabis Lyricam? Hìc Scopulus, hìc Euripus, hìc franges ratem.

Dùm vaga ſquamigeræ ſulcabũt marmora turmæ,
Numina victoris venerabimur inclyta Bacchi.

Cui ego ſubridens, bona verba doctor. Forſitan eadem ratio, qua confirmaui delectabiliorem Epopeia, delectabiliorem Comędia Lyricam confirmabit. Ni ſufficiat eadem, addo aliam. Niſi maior (id non moror) ſaltem nobilior, ac melior erit delectatio, quæ orietur ex commemoratione laudum, aut beneficiorum, vel à Deo, Diuiſque, vel ab optimis ciuibus tibi, patriæue communicatis, quàm ex ridiculis, & ſcommatibus, parùmque honeſtis actibus, aut dictis, quæ pudicas aures, & graues oculos offendunt potiùs, quàm delectent.

Adde Lyræ dulcedinem peculiarem Lyricæ poeſi.

Tandem etiam ſi ſuperaret delectatione Comędia, quod non facilè aſſentirer, ſuperat hanc Lyrica (quod pluris faciendum eſt) vtilitate, honeſtate, ac dignitate longè maiori, & argumenti, & ſtyli.

Age: Præſtantia, & dignitas Melicæ poeſis oſtendetur à præſtantia, & dignitate ſummorum virorum, qui hanc excoluere tanta cum gloria, quibus non tempore ſolùm, ſed etiam dignitate poſteriores ferè omnes Epici, Tragici, Comici, Satyrici.

Etenim illis, ſcilicet Orpheo Regi, Vati, Theologo gentium præſtantiſſimo,

Pinduro altiſſimi ſpiritus Poetici, ac maximę exiſtimationis apud omnes Gręcos, apud Apollinem, & Pana: qui ab apibus infans ea fuit inſignitus prærogatiua, qua Diuinus Plato, & Diuus Ambroſius:

Dauidi, ac Salomoni (vterque Rex fuit excellens, hic exemplar ſapientiæ, ille iuxtà cor Dei) Hieremiæ (hic ante Simonidem Threnos vaticinos Lyricis verſibus concinnauit, qui appellari poſſent Odæ Threneticæ) Eſaiæ, Prophetiſque alijs Hębreorum, inter quos Moyſes ſummus ductor virtute, ſanctitate, ſapientia, miraculis glorioſiſſimus;

Demum nonnullis Pontif. Max. Diuiſquę, ac ipſi Deiparæ Virgini, quæ diuinam cantionem Deo cecinit Diuina Muſa Verbo plena, Spiritu afflata Diuino, qui huius, & Prophetarum ore canens Lyricè Lyricus Poeta videtur (ſi fas) appellandus: longè inferior erit Homęrus verè Homærus in electione mortis infœlicis æquè, ac pudendæ, Tragici, Comici, ac Satyrici Græci: Virg figuli fil. cum Ouidio, Statio, Valer Flacco, cum Plauto, Terentio, Iuuenali, Perſio, cumq; ipſo Seneca, nedùm Areoſtus, & alij, qui Epica, ſiue Romanſia (vt hoc vulgari nomine vtar) vel Tragedias, Comędias, Satyras edidere.

In hoc Poematio (Hymnum, ſiuè Pæana, ſiuè Dithyrambum appelles) ſequutus vltrò ſum veluti duces, atque magiſtros Ouidium in 4. Met. & Senecam in Choro ſecundi Actus Aedipi; tamèn addidi non pauca, quædam omiſi minimè neceſſaria; plura variaui diuerſas carminum Ideas, diuerſum ordinem, ſtylumque adhibens; itàque longè diſſimilis in ſimili argumento ſum iudicandus, iudicium niſi fallitur meum. Qualecumquę id ſit Poemation àb adoleſcente me ſcriptum (vt non pauci norunt) meam ſuprà ſpem, ac votum placuit egregijs aliquot ingenijs, cuius honorificè meminit Franciſcus M. Gualterottus Canonicus Florentinus in Epiſt. ad Carolum Marucellum Ann. 1628. edita his verbis.

Veggaſi Ennio mentre dice della Chiocciola. Cochelea herbigera domiporta, *e Catullo* Laſerpiciferis iacet Cirenis Sagittiferoſque Parthos. Septemgeminus Aurifer Tagus, tardipedi, plumipedas, hederigeræ ſonipedibus, ſiluicultrix, nemoriuagus, *e ne i noſtri tempi il Sig. Iacopo Gaddi nell'Inno, ch'egli fà,* In Bacchi laudem Thebanorum priſcorum Chorus, *che tanto è à dire quanto nel Ditirambo queſte, e ſimili ne adopera;* bacciferis, altitonantis, ignigena, racemiferis, aurifero, vitigera ſquamigeræ, *e ſimili, &c.*

Idem in Elogio Foreſis Adimari.

Da nobiliſsimo ſpirito, eccellente Scrittore, e Letteratiſsimo Gentilhuomo, Hercole Fiorentino, &c.

Idem Odem mihi miſit vltrò, ac ſpontè compoſitam.

De Hieronymo Balbo Poeta egregio lusus.

LAurigeri Vates fortaßè requiritis, ille
Tàm male cur cecinit carmina? Balbus erat.

Horatij Ode. Sic te Diua potens Cypri in Elegiam versa.

SIc te grata ratis per cærula regna volantem
Ledæ progenies, Sydera fausta regant,
Aeneadumque parens, Cypri Regina, Tonantis
Filia, quæ terris, quæ dominatur aquis,
Aeolus immites frænans in carcere ventos
Impellat Zephyro carbasa plena leui,
Adsit & æquoreus Rector, Glaucusque biformis,
Ac Thetis, ac Triton, Nereidumque Chorus,
Te precor incolumem reddas ad Palladis arces
Vatem, animæ serues dimidiumque meæ.
Scilicet ille suum prӕduro marmore pectus
Munitus, triplici septus & ære fuit,
Hunc genuit fœta vsque nouis ceruicibus hydra,
Hunc aluit viuo pota cruore tigris,
Hunc & Auernales puerum excepere sorores,
Et qui tergemino Cerberus ore tonat,
Qui fragilem primus cum vita credidit vndis
Aequoris infidis, turbinibusque ratem,
Nec timuit Boreæ luctantia flamina Cauris,
Austri nec timuit prælia cum Zephyris,
Nec tristes Hyadas, ignota nec horruit astra,
Monstra nec vndantis horruit Oceani,

De quo puer lusi Disticho, nõ ludens hæc scribam. Visus ille mihi fuit egregius Poeta (vt in titulo indicaui) qui nõ nisi carmina illius legi, sed nupèr eiusdem multiplicem cognitionem disciplinarum, & eruditionem cognoui ex Iohannis de Trithen Abbatis Spanhemensis Libro de Ecclesiasticis Scriptoribus, in quo eruditissimus hic author non paucos viuentes celebrans hæc de Balbo habet. Hieronymus Balbus vir celeberrimæ opinionis, & in omnibus disciplinis bonarũ artium egregiè doctus, Philosophus clarus, & rethor facundus, metro excellens, & prosa, &c. Viuit adhuc in Gallia scribens, & varia componens, sub Maximiliano Roman. Rege Illustrissimo Anno Domini 1494.

Quem non Scylla rapax canibus succinta cruentis
Terruit, aut refluis torta Carybdis aquis.
Dißociabilibus frustrà diuisit ab undis
Tèr sapiens terræ florida regna Deus,
Si tamen incestæ violato numine Cæli
Non tangenda rates æquora transiliunt,
Audax gens hominum moliri cuncta perennè
Corruit in vetitum præcipitata nefas.
Audax læthali qui fraude nepotibus ignem
Intulit ereptum sedibus æthereis,
Hunc macies, febresque, inuisorumque malorum
Fœda cateruatim turba sequuta ducem,
Semotæque prius tardum quæ fata mouebant,
Præproperata necis corripuere gradum.
Ipse sibi vetitis à numine Dædalus alis
Discidit aereos ambitiosus agros:
Quin etiam æterna damnatas nocte paludes,
Et stygios rabido cum Phlegetonte lacus,
Tartareasque domos, & regna silentia Ditis
Herculeus valuit perdomuiße labor.
Ardua res nobis nulla est; miscere paramus
Impia cum magnis prælia Cælicolis,
Nec patimur sæuum per crimina nostra Tonantem
Ignisona vltrici ponere tela manu.

De Aurora Sylua.

RVbet æthereis gemmata rosis
Filia ponti, filia Cæli,
Ac vitalis prodiga lucis,

La-

Lumen orbis, gemma poli,
Flos cœlestis agri,
Fax radiata soli,
Quæ noctis domitrix horrentes dißipat umbras,
Quæque triumphanti sydera luce fugat,
Quæ radijs auxiliaribus,
Armat Orbem,
Ornat Axem,
Hæc radiantes rediuiua rosas
Vibrat, & roseos eadem radios
Purpurat hæc radijs, emicat atque rosis:
Hæc montium comata
Iuga nascenti luce colorat,
Hæc igne florulenta
Inaurat arua,
Hæc arborum virentem
Pandit amictum,
Et æmulas ligustris
Fluminis vndas,
Hæc purpuram rosarum,
Eburque liliorum,
Pallentesque genas violarum, & amabile nigrum,
Quo vaccinia gestiunt,
Ac floris innumeri colores
Centum aperit, variatque centum.
Scilicet vna suis animare coloribus orbem,
Atque oculos donans cernere cuncta potest,
Quot radios, tot fundit ocellos.
Viden illa nunc triumphans
De nocte, de tenebris,

 Agit

Agit ardentem viuida currum
Radijs septum, luce comantem,
At dum triumphat infælix
Ipsa in gremio lucis alumnæ
Languet, in ortu vitæque perit,
Heu currus, heu rerum vices,
Currus ille triumphi
Fit funebre feretrum,
Illa cuna vagientis
Exanguis est sepulcrum,
Orientis ille nidus,
Rogus heu fit occidentis,
In hoc tamen sepulta
Rediuiua surget, vt Phœnix
Natale iugis reparans funus.

Extemporale.

DVM pueris reddit pietatis præmia doctor,
Vt puer en posco munus, & obtineo.
I, fastus procul, ac ventosa superbia, rebus
Scilicet in sacris, qui puer, ille vir est.

Pubescentem Auroræ syluam, & Epigramma morale sectatur Elegia ad Zephyrum piè ludés, & ad S. Virginem Deiparam Hymnus.

Elegia ad Zephyrum vt Christo Domino puello flores nouos gignat.

O Qui florifero vernales flamine gemmas
Spargis, dùm vario germine rura beas,
Ventorum lepor, ò genitor blandissime Veris,
Almaque telluris gloria, Regis honor,

Indue

Indue rorantes spectabilis aliger alas,
Et socio famulum nectare funde solum,
Iàm noua pubescant virgulta, nouasq; ministret
Tellus nunc verè prodiga mater opes
Cerne, per hærbosos ludit Christus puer agros,
Flores sparge, decent florea serta Deum,
Scilicet infantem, iam regia purpuret ostro
Idalio, pueri ni rosa sanguinem amet,
Qui fluet heu lustris iàm iàm labentibus vltrò
Quo picta excellet spina decore rosas,
Aemula virgineis niuibus modo lilia candent,
Nimirum florens lilia vestit ebur,
Calthaque natiuo radiat spectabilis auro,
Et viola æquoreis æmula ridet aquis,
At ferrugineus hyacintum liuor obumbrat,
Nam pueri fatum flebilis vmbra decet.
His nunc insuetos addens tu Veris honores,
O anima, authorem munere cinge tuum.
Si nequeas, præbe famulas placidißima pennas,
Et puerum pondus dulce per arua feras,
Ille pater verus Veris florentia mille
Sydera diffundet æmula syderibus,
Rector & astrorum meliori lampade clarus
Sol dium augusto sparget ab ore iubar,
Floribus immiscet radios, sic orbis vtroque
Vernabit melius sydere conspicuus.

Ad

Ad Sanctam Virginem Deiparam. Hymnus.

O Virgo mater, filia filij,
Excelsa cætus æthereos super,
Augusta regnatrix gemelli
Orbis, & aligeri senatus,
Tu vena summi luminis, vrbium
Tutela, vindex virginei chori,
Te noctis æternæ Tyrannus,
Ac stygiæ pauet agmen vndæ.
Tu florulento sydere pulcrior,
Tu syderali flore nitentior,
Te Luna supplex, & corona
Syderis obsequiosa cingit
Phœbus minori lampade fulgurans,
Tepuriori lumine fulgere
Miratur, & iubar niuale,
Deque tuo bibit ore lumen.
Tu me gemello dextera sydere
Frontis vagantem dirige, nec preces
In æquor vndantes proteruis
Flaminibus patiare ferri.

De Vere redeunte.

IAM renascentis vice Veris horrens
Euolat tempus, redit aura mitis,
Iam domat fluctus pelagi rebelles
Aerea puppis,

In hac Ode quam nuper nobilitauit Etrusca Paraphrasi Petrus Saluettus iuuenis ingenij, ac spiritus planè poetici, Horatij vestigia sectatus aliquandò sum, at longè plura, diuersaq; addidi, quæ desiderantur in Horatiana: *Soluitur acris hiems, &c.*

Iam pecus gaudet stabulis relictis
Ludere erranti per amæna gressu
Rura, nam campus posita niuali
Veste superbit
Floribus pictus, viridique sylua
Crine pubescit redimita, fronde
Nunc sub altrici nemoris volucrum
Agmina plaudunt,
Mille dum cantus variant loquaci
Gutture, imbellis fruticeta subter
Labitur riuus, tacitoque syluam
Gurgite lambit.
Nunc decet fusos redimire crines
Floribus, quando melior coruscat
Phœbus, ac tristes domuit procellas
Blandior ætas:
Cedat hinc luctus, dubiæque mentis
Arbiter vilis timor, ac dolores
Exulent, curæque nimis tenaces
Mortis alumnæ.
Murice effulgens alius superbo
Imperi molem regat ambientis
Agmine accinctus populi, grauesque
Vendat honores,
Alter Arcanos dominantis auri
Congerat montes sibi mortis author,
Opprimi dignus nitidæ doloso
Pondere molis,
Alter humani sitiens cruoris
Vexet insano metuendus ense

Hoſtium turmas, referatque claros
Vſque triumphos,
Sorte contentus patria laceſſo
Nil Deum ſupra, leuis atque flamen
Plebis haud curo, dominoſue faſces
Vincula mentis.

GIA' del verno neuoſo
Fugan l'orrido piede aure di fiori
Di Nettuno orgoglioſo
Fanſi calme i furori,
E porgendo al Nochier fidi ſoſtegni
Spumano al ſolco de gli armati legni.
Già gli alberghi abbandona, e à ſtrani balli
Corre il gregge feſtoſo à i noui campi:
Foſchi, e deſerti calli
Già ſembran vaghi all'apparir del verde;
Già mentre i ghiacci perde
Della canuta chioma il giogo altero,
Dilata il colle il ſuo fiorito impero.
Da gli ſterili rami
Spuntan le fronde ad arricchir le ſelue;
Par che à l'ombra ti chiami
Di mille Augelli armonioſo coro,
Alletta il bel teſoro,
Che pria fù duro argento, hor mobil'onda,
Mentre in placido riuo,
Per far più vago il ſuol, bagna la ſponda.
Da corone odorate
Hora s'infiori'l crin ſcherzo dell'aura,
Hora

Hora che innamorate
Vibra Febo le fiamme, e i cor reſtaura
Or, che più dolce età l'impeto arreſta
Di nembo, e di tempeſta.
Non più lacrime al ciglio, ò tema al ſeno,
Diaſi banda al dolor nube del volto,
Da ſembiante ſereno
Fuggan, laſciando altrui liberi gli anni
Tenaci cure, al fin mortali affanni.
Altri pur cinto d'oſtro i grandi Imperi
Col giogo affreni, e con la man regnante
Diſpenſi honori alteri
Moſtrādo all'ambiziō, ch'in van nō chiede
L'vniſce a' prieghi humili alta mercede.
Altri, d'hauer l'ineſtinguibil ſete
Spegner credendo, aurati monti accoglia,
Folle, che ſcema vita, e creſce voglia
Quanto più colma d'or l'arche ſecrete,
O degno di cader dal pondo oppreſſo
Del metallo Signor d'anime auare,
Che ben gli hauria conceſſo,
Pari all'aureo deſir prodiga ſorte,
E la tomba, e la morte.
Prema altri il dorſo à feruido deſtriero,
Goda la ſpada inebriar di ſangue,
Calpeſti pur di ſue vittorie altero,
Chi giace eſtinto, e chi morendo langue,
Fin che ſazio di ſtrage il cor guerriero
Dall'inimico eſangue
Tragga le ſpoglie, e in trionfali onori

Vada la fronte à coronar d'allori.
Me ſolo appaga quanto il Ciel corteſe
Conceſſe a' miei natali,
Onde a i Templi deuoti
Non ardo incenſi, e non appendo voti
Per titoli impetrar, e pompe frali
Più nō chieggio, e ſprezzādo in aura vana
Del volgo errante, Porpore, e Corone,
Scettri nō curo, onde altri appar poſſente,
Che ſe domina il crin, ſerue la mente.

In Albos, & Nigros Florentiæ inter ſe diſſidentes Elegia.

Hæc veſtigia tangit aliquandò Romani Pindari, qui Epodon lib. Ode 7. bellum ciuile deteſtatur ignito ſtylo armatus. Alia tamen eſt Elegia, ſi perpendantur addita plurima, quædam variata, omiſſa non pauca, itàq; mihi videor purus furti, quod crimen pleriſq; Poetis familiare non laudo, at excuſo edoctus, hanc veniam multis dari, petique viciſſim.
Hiſtoriam huius diſſen. lege in Chron & Hiſtor. Florent. & in Elog. Verij Cerchi, & Curſi Donati.

QVò ruitis cæci (genus ò lacrymabile) ciues?
Quid ſitibūda vagi sāguinis arma parāt?
Quò furor ah præceps, quò barbara rapiat Erynnis,
Ah quod molitur mens furiata nefas?
Sanguinis ò cupidi nimiùm, ſi cœde recenti
Gaudetis, ferte ah noxia tela procul,
Non hic Piſanæ poſuerunt caſtra phalanges,
Non Aretina cohors bellipotens poſuit:
Aemula non poſuit Syllano Sena decori,
Deuictæ toties nempe dedere manus,
Has bello turbare decet, cum bella repoſcunt,
Et premere infenſo tela inimica pede,
Illas inuicto proſternere Marte cateruas,
Ducere & auguſtos lætius vſque dies,
Templaque deuotis cumulare verenda tropheis,
Hæc ſpolia, hos titulos patria noſtra petit,
Illa

Illa catenatos præclari nominis hoſtes
Ire per auguſtas corde micante vias,
Piſanæque vrbis, quæ faſces iactat auitos,
Aemula florigeris ſternere tecta cupit,
Atque triumphatis Hetruſcæ gentibus oræ
Regnatrix dominum tollere in aſtra caput.
Illa ſed infelix poſito diademate, veſtes
Diſciſſa, & querulas dilaniata comas,
Ac gemitus inter, lacrymaſque ſoluta cadentes,
Hos trahit irato cordis ab ore ſonos,
Siccine crudeles? ciues vos mater, an hoſtes
Compellem? eſt hoſtis, qui fera bella ciet,
Impia germano ſatiabis arma cruore,
Queis decet hoſtiles ſollicitare globos?
Parcite iam ferro, nimium, nimiumque cruoris
Fuſum eſt, cognata cade rubeſcit humus,
Sed queror heu fruſtra, lacrymiſq; ſequacibus oro,
Dum lacrymo, fluitat ſanguinis vnda mei,
Hæ lacrymæ matris nimirum, hæc verba doloris
Irrita in æquoreas euehet Auſter aquas.
Fratribus ah vos quanta manet infamia cæſis,
Dedecus ah quantum nomina veſtra manet,
Cædere me ne libet? diſcerpere membra parentis
Veſtræ? hæc ſanguinei præmia mater habet?
Quæ cunas vobis, & vitam, & amabile lumen
Præbuit, & malè quas diripuiſtis opes,
Quid moror infœlix? pateant hæc viſcera vobis,
Iam fige hoc ferro, barbara turba, latus
Scilicet vrbs victrix, vt votis expetit hoſtis,
Infælix manibus concidat icta ſuis.

Poſt deſcriptionẽ Florentiæ, vti argumentum Elegiæ poſtulabat; miſerantis & miſerabilis, amantis, & iratæ nectitur oratio vehemens, abrupta, affectionibus diuerſis agitata, vt decebat illam tunc alloquentem ciues digladiãtes ad excidium.

Igitur ex abrupto, ſinè exordio, quod perturbatæ linguæ non adhibent, orditur SICcine crudeles, &c.

Dolorem, iram, amorem, timorem, querelas, minas, preces, exprobrationem, execrationẽ non immeritò permiſcet, quæ non ſine iudicio, & arte diſſimulata fuiſſe ſcripta rhetor agnoſcet, atque Moralis Philoſophus, è quibus verus Poeta velut è fontibus haurit multa, quæ poetico nectare aſperſa refundit in aures elegãtes.

Descriptio Iris.

SOlis ab oppositi radijs, & luce parente
Lucem haurit centum variata coloribus Iris,
Solis alumna, soli nitor inclytus, aurea picti
Gemma poli, patrij flos aeris, arbitra nimbi,
Quæ prius infensos mansuro fædere iungit
Cælicolis homines, ter blandum pignus amoris,
Stemmaque diuini; melioris nuncia sæcli.

Iris descripta poeticè præcessit Solem Christiani Celi, scilicèt Sũm. Pontif. Vrbanum, quem celestia Sceptra cælesti Plectro maritantem cecini hac Ode, quam Hetrusca paraphrasi clarauit Hieronymus Bartholomeus.

Hæc præcipuas meo iudicio Odas tantis Vatis canit, intèr quas de summi honoris solio certare videtur illa, qua celebrat D. Ludouicũ Galliæ Regem, quem apertè significans ad viuum expressi præsertìm his verbis *Inseruitque Cælo unica virtus regnantem verendũ*, nec temerè positum fuit Epitheton *Vnica* quandoquidem virtutis humanæ fastigium supergressa Virtus Christiana Celo digna, diuinisque honoribus vix vni, aut alteri Regum quouis sæculo data videatur.

In Laudem Vrbani VIII. Sum. Pont.

PHæbe nutricem coluisse syluam
Parce, & augusti iuga sacra montis,
Et choro septus dominantis Arni
Vise fluenta;
Sed laboratam digitis magistræ
Palladis vestem, resonumque fratris
Mercuri munus cape martiali
Pulcher honore;
Pone sed plectrum leue, quo Tonanti
Nempè dilectos recinens puellos
Blanda tentasti leuiore ludens
Stamina cantu;
Sume, quo maior domitos Gigantas,
Arma victorumque Deùm, Iouisque
Sparsa Phlegræis radiante dextra
Fulmina campis.
Hoc Lyræ neruos anima loquacis
Blandior tollens sonitum, Quirini

Prin-

Principis laudes modulare, noſtrum
Dirige plectrum.
Siue, quas Vatum pater Arnus vndas
Voluit, auguſtæ medium quieto
Vrbis, ac moles ſuperis minantes
Dum pede lambit,
Redde vocales teneri magiſtras
Vatis, irroret modo me canorus
Arnus, altricis noua pompa Floræ,
Altor olorum;
Mellis vt flumen referam loquacis,
Quo fluit rector venerandus Orbis,
Alma qui plectro melior latino
Sceptra maritat.
Siue virtuti diadema laudis
Texit agnatæ faber inuidendus,
Ac tuum Phæbo celebrande nomen
Ciampole clarat;
Siue Chiabreram volitantem in aſtra
Alitem attolit ſimili volatu,
Strozzium aut Vatem, lyra cui perennes
Nutrit honores.
Siue regnantem celebrat verendum,
Quem dedit terris generoſa mater
Gallia Heroum, inſeruitque cœlo
Vnica virtus.
Siue dum fratris geniale germen
Aureis armat monitis, doloſæ
Peſtis vt vitet malè blandientis
Dulce venenum.

Opti-

Huic facilè pares, quas pariter Pindarico more texuit in laudem S. M. Magdalenæ, ac D. Io. Baptiſtæ.

Adde abſolutiſſimam, & mirabilem Odem pace parta, ad Cardinalem Aldobrandinum, *Mentis verendum, &c* quæ cum alijs carminibus egregijs Barberini, aliorumque Academicorum Inſenſatorum edita quondam fuit.

Adde ſupra Eclogam Iulum inſcriptam, necnõ Epiſt. ad Bernardinum Capponum, Odas ad Flaminium Figliuccium; ad Carolum fratrem, *Quam pulcra blandè, &c.* & illam, cui titulus Adulatio pernicioſa, & alias quas hìc cum non paucis Epigrammatibus, alijſq; carminibus inſignibus prætereo, non enim hìc horum Catalogum ſcribere debeo.

Longum eſſet, ac ſuperuacaneum recenſere Scriptorum encomia de Vrbani poematibus, quę cultiori Hyſpanorũ lingua vario carminum genere abſoluit propediem edenda Gabriel de Corral, vti teſtatur Allatius in Apibus Vrbanis, qui Græcam reddidit Odem longè nobiliſſimam àd virtutem exhortatoriam Franciſco Caroli fratris filio ſcriptam.

Ego verò encomijs omiſſis nudè, ſimpliciterque pronuncio à Barberino ſuperatos (ſi excipias Romanæ Regem Lyræ) Italos omnes, qui Lyrica Poemata latinè ſcripſerant.

Optimus Vates, patrui verendo
Namque signatas pede cum recurrit
Semitas pernix iuuenis latino
Fulgurat ostro.

Huius ò quantum decus ardet, ò quæ
Sylua succrescit generosa laudum,
Quam virescenti pater vsque Phœbus
Ditat honore.

Summus hanc læui moderator axis
Seruet illæsam trifido furore
Fulminis, lucosque alios trilingui
Terreat igne:

At sacras Princeps Latius secures
Stringat in turmas pietatis orbas,
Quæ truci stipant Asiæ cruentum
Agmine Regem.

Digna sic albis numeret lapillis
Sæcla bellator pius, vsque fœlix,
Spargat & sacrum duce Sole regnum
Orbe subacto,

Quem premit sæuis religans catenis
Axis Eoi ferus imperator,
Qui miser subdit vitijs iniqua
Colla tyrannis.

Fallor, an Cælo chorus è patenti
Labitur pennis humeros niuales,
Ac manus telis, triplicique septus
Pectora ferro?

Ducit hunc claßis Michael beatæ
Signifer doctus facibus trisulcis

Fun-

Fundere armati validus cohortes
Ditis Auernas.
Scilicet tanto duce prœliantum
Agmen ò princeps inimica verte in
Regna Romanæ fidei, trucesque
Numinis hostes:
I, precor, faustis auibus, decorum
Ipsa certamen meditantur astra;
Iam tibi bellans parat arma proni
Regia Cœli.
Cerne telorum segetes cadentum
Igneas, his funde acies, rebellis
His datur cornu superare Lunæ
Auspice Christo.

Parafrasi del Signor Girolamo Bartolomei sopra l'Ode, in lode del S. Pontefice Vrbano VIII.

FEbo cultor dell'honorata fronde
Al crin fregio immortal, degna corona
Da gioghi d'Elicona
Dell'Arno scendi su l'amene sponde,
Guida l'Aonio Coro,
Del manto adorno il seno,
Dell'industre Minerua aureo lauoro;
Dono già di Cilleno
Prendi il Plettro, che'l cor rende sereno.
Posa la Cetra humil, che già loquace
Festi scherzando, e garrula de belli

Ami-

Amiclei gemelli,
Hor folgoranti in Ciel gemina face:
La man ſublimi canti,
Soura quella ne ſtampi,
Che conti al Mondo fè domi i Giganti,
All'hor ch'arſi da lampi
Di Flegra funeſtar gli horrendi campi.

Altamente temprato il ſuono arguto,
Quindi lo porgi, e reggi à me la mano;
Ond'io doni al ſourano
Prence Quirin ſacro d'honor tributo;
Tempri armonia gioconda
Pari à quella, che rende
Del nobil Arno mormorante l'onda,
Mentre d'argento fende
Il grembo à Flora, e' Cigni al cãto accẽde.

Chieggio d'Attico mele ondante fiume,
Qual verſa quegli fior de' ſacri Eroi,
Che la vece frà noi
Degnamente ſoſtien del ſommo Nume:
Mentre i ſonori carmi
Spoſa à Plettro latino
Alto ſonante altro ch'amori, ed armi,
Muſico pellegrino
Egli il vanto n'inuola al Venuſino.

Teſſa corona de più degni pregi
Di virtù bella all'immortali chiome,
E di Ciampoli il nome
Nouo Pindar del Ciel di nome fregi,
O volator ſublime

Al Ciel leui il Chiabrera,
Che ſoura l'Etra alzò le Toſche rime,
Lodi di bontà vera
Speglio lo Strozzi, e d'Arno gloria altera.
Di criſtiana virtù fonte fecondo
Eſtolla il gran Luigi all'auree ſtelle
Della franca Cibelle
Auguſto protettor, norma del Mondo,
O pur qual Chiron pio
Struiſca il giouinetto
Dell'amato fratel germe natìo;
Onde ſchiui il diletto,
Fatal Sirena ſotto vago aſpetto.
Precorre à lui mentre con aureo piede
Segnando orme beate inclito duce
Al bel giogo conduce,
Oue l'oſtro virtù dona in mercede,
O qual ſelua di lode,
E di preclari honori
Que' s'accreſceo, ch'in ben'oprar ſol gode;
Ricca di ſacri humori
Febo la renda, onde s'infrondi, e infiori.
Di ſue frondi il bel verde ogn'hor ridente,
Qual teſor ne conſerui il vero Gioue,
Frà boſchi infauſti altroue
Triſulco fulminando il dardo ardente;
Contro l'infido Trace
Con generoſo ſdegno
Di Roma il genitor guerreggi audace,
E quindi fregio degno

Di Lauro intessa frà il gemmato Regno.
Scorto dal Cielo, ò s'egli pio guerriero
Il secol suo di bianca gemma segni,
Mentre racquisti i Regni
Dell'Oriente al suo Romano Impero:
Il carro trionfale
Segua homai catenato
Quel tiranno crudel mostro fatale,
Che dall'Inferno armato
Turba al Mondo la pace, e'l dolce stato.
Vaneggio, ò miro lo stellato polo,
A cui lampo improuiso il grembo frange,
Scende aurata Falange
D'vsbergo armata in bianche pẽne à volo,
Guida l'Empiree squadre
Gonfaloniero eterno
L'alto Michel, che l'empie schiere, & adre
Rubelle al Rè superno
Frà l'ombre inabissò dell'imo Auerno.
L'armi inuitte, e'l valor, cui già vincesti
Tartareo arcier di fiamme il rio Dragone,
Volgi, ò sommo Campione
Contro à nemici al vero Culto infesti:
Mira colmo di zelo
Come sue stelle aduna,
O grãde VRBAN, per tua milizia il Cielo;
Diuien sanguigna, e bruna
Di Cristo al chiaro Sol la Tracia Luna.

De lacrymis Virgunculæ Caſtiſſimæ.

DVm fixo ſitibunda virgo Chriſtum
Contemplatur ocellulo cruentum,
Et roſas bibit oſculo cruoris,
In flumen lacrymans puella manat
Plenum amoris aquis, odore plenum:
Nimirum elicit è roſis amoris
Potens numinis igne aquas odoras.

De Ijſdem.

EN virgo illacrymat, lacrymas tu ſume cadentes,
Electrum hæ fient nobilius lacrymæ.

De Ijſdem.

CHriſtum pupula dùm videt cruentum,
Extemplo in lacrymas ſoluta rorat,
Et ſinu lacrymas legit cadentes,
Nimirum putat eſſe margaritas,
Queis nectet ſibi gloriæ coronam.

De Regibus.

QVisquis beatos iudicat arbitra
Reges corona, faſcibus inclytos,
Claraque primorum caterua,
Et populo famulante ſeptos,

Epigrãmata hæc tria meis non egent notis, ſicut neque Ode de Regibus Parphraſi Etruſca nuper nobilitata ab egregio Poeta Etruſco, Latinoq; Franciſco Rouaio, cuius Poematia Lyrica parient nonnullis admirationem, vel inuidiam; quę Philoſophorũ ſententias aureas ſcrreis auribus reiectas, atque contemptas poeticis numeris complectitur; cui videtur conſentire Syllua de villa amæniſſima pag. 22. quæ ruris, & Muſarum amœnitatem præferre videtur ſceptris, faſcibus, & inſignibus inuidioſæ cuiuſlibet amplitudinis.

Errat: Beatum non faciunt opes,
Non texta gemmis versicoloribus,
Auroque vestis, non auitum
Imperium, dominique fasces,
Quamuis remotas subijciat plagas
Iungatque priscis perpetuùm nouas
Victoriosa claße fœlix,
Innumeros referens triumphos,
Armis timendus sternat & inclytas
Gentes, Tyrannos indociles pati,
Ac supplices frænet superbus
Aßyrio decoratus ostro,
Ni se superna lege coerceat
In corde puram iustitiam fouens,
Sensusque debellet rebelles
Victor opum ipse, suique rector.
Hic vana Regis stemmata scilicet
Iactabit, alıı muneris inscius
Inane nomen posside bit,
Seruiet at famulus Tyrannis.

Parafrasi del Sig. Dottor Francesco Rouai.

CHI con lo sguardo inuidioso ammira
Ebri d'ostro superbo i Regij manti,
E stupido rimira
Le coronate d'or teste Regnanti:
Se chiusa in nobil Corte
Trouar beata sorte, auuien che speri,
Stancherà sempre in van guardi, e pensieri.

Trà gli agi ella non viue, e non si asconde
Di pompe amica alle ricchezze in seno;
Per dilatar le sponde
D'impero, e porre à cento Regni il freno;
Per coglier palme altere
Trà debellate schiere in campo armato
Non fà la Gloria il Vincitor beato.

Fulmini Rè tremendo, e mille opprima
Genti non vse à sofferir Tiranni,
Ricco di spoglia opima
Tinga d'ostro rapito i Regij panni,
Ma pace hauer non pensi
Se non raffrena i sensi, e non corregge
L'Alma rubella alla superna legge.

Quei, ch'allo Scettro, alla real sua sede
Quasi à Numi consacra ogni pensiero,
Shernito al fin possiede
Vn nome van d'immaginato Impero,
Qual huom del volgo, e vile
Perde forma gentile, e del proteruo
Desio rimansi incatenato, e seruo.

De carnium syluestrium esu.

TVrpe est eße feras, amice, quando
Beluarum gula vilium est sepulcrum.

Sylua de Villa Amenissima.

SAlue, ò Phœbææ statio dilecta cateruæ,
Quam rigat imbellis per amico gurgite riuus,
Quã nec tristis hyems, nec anheli syderis ardor

Sauciat, æterni beat indulgentia Veris,
Quam bona, Palladio quæ semper honore virescit,
Pax alit, atque quies nullo stimulante, soporque
Melleus, ac Phœbo, & Musis deuota cadentis
Murmura non tacitè fontis, syluæque coruscæ,
Quam placida ludens Zephyrus diuerberat aura,
Non hic armorum rabies, non dira minantes
Horrendo clamore tubæ, non cornua flexi
Aeris, & armati sonus hostis læthifer aures
Ingenti terrore quatit, procul exulat ardor
Bellicus, & furiæ procul, & certamina Martis,
Iurgia & ipsa procul, miseris quæ vendere doctus
Permiscet clamore forum, non ille patronus
Legis, at excidium, iurisque indigna Carybdis.
Quid petis, infælix genus, ambitiose superbos
Imperij fasces, deuotaque regna ruinæ?
Regia quid prosunt insignia, quidue curulis
Sella, & baccatum gemmis miserabile sceptrum?
Limina, quid superis minitantia limina templis,
Aurataeque trabes, solidoque ex ære columnæ,
Inuidiosa regunt dubiæ quæ pondera molis?
O quàm dulce reor species, vultusque locorum
Linquere magnificos, humilesque habitare Penates,
Tutior est vallis, quæ raras fulminis iras
Sentit, quàm montanus apex, quem fulmine crebro
Verberat altitonans, sunt grandia pendula semper,
Ingentesque timent casus, tristemque ruinam.
Ergo agite, ò faustos ruris carpamus honores
Omnibus innocuos; vos vltrò florea tellus
Inuitat, vitrei vos murmur amabile fontis,
Gemmea

Gemmea qui lambit fœcundis gramina riuis,
En vocat alituum vocalis turba paternas
Quæ syluas, quæ rura suis concentibus implet,
O vos fælices misera procul vrbe coloni,
Qui patrios colitis plaudenti sydere campos.

De fluuio, qui rupto gelu viatorem præte-reuntem obruit.

Tria Epigrãmata succedentia clara sunt, ita vt animaduersionibus illustrari necesse non habeant.

DVm riget hyberno fluuialis frigore lympha
Stricta, parique gelu terra niuosa riget.
Vitrea regna premit, dùm credit amica viator,
Obruit at miserum lympha soluta caput.
Fluminis ah scelus? infido quid gurgite perdit?
I, nunc crede hosti, perfidus est fluuius.

De Puero Iesu in pręsepe, & D. Stephano saxis icto, quorum contigua festiuitate Ecclesia memoriam veneratur.

DVm puer horrenti cubat orbis Rector in hærba,
Quid Stephani lacerant saxa cruenta latus?
Scilicet, vt puerum pergrato flore coronent,
E Stephani ducunt sanguine saxa rosas.

Ad Auarum diuitem. Fictum nomen.

LIcet feracis Thusciæ plena manu,
Apuliæque diuitis messes legas,
Tibique

Tibique Ganges aureis vndis fluat,
Tibique gemmas æquor Eoum vehat,
Tibique solis quicquid æternus vagi
Labor ambit, vni seruiat, si quid cupis,
Dis nunquam eris, nam pauper est quisquis cupit:
Vis esse diues, Regule? cupias nihil.

Chorus Militaris in laudem.

FEderici Fulchij Hierosolymitanæ classi Præfecto fœlicissimo, qui duobus fratribus, & octo Nepotibus equitibus Hierosolymitanis septus octo, & decem prælijs victor fregit Barbaros honorem, & spolia ampla referens.

Chorus Militaris sanè poeticus, nil aliud requirit, nisi nomina Scriptorũ; à quibus excerpsi; quę de tanto Heroe scripsi in lemmate, fuere illi Frãciscus Serdonatus in casibus.

Landinus in Apologia, Verinus de Illustratione Flor. lib. 2. Franciscus M. Vialardus in lectione excussa Genuæ An. 1590. B. Baphius in Oratione de fœlicitate Florentiæ edita; & alij.

EIa age curru, fama, volanti
Pernix superos tolle per orbes
Fulchium patriæ potentis astrum,
Martis ac fulmen genitoris ardens,
Arbitrum famulantis vndæ,
Et Barbarorum cladibus inclytum,
Ductorem niueæ sacrum phalangis,
Et consanguineo milite nobilem,
Victoriosa classe septum,
Victoriali fronde reuinctum.
Viden, vt plausu lætus ouanti
Per famulares explicet auras
Victoriale labarum?
Hoc cœlesti Deus ipse auro

Inter-

Intertextum, ſydereiſque
Nobile gemmis, nobile munus
Bellaturo dedit Heroi.
Viden? emeriti culmina Cœli,
Patriaſque petit ſedes Heros,
Dùm tergemini princeps orbis
In ſydereum dat Capitolium
Agere intextas adamante rotas,
Immortali fronde virentes,
Immortali luce comantes,
Ipſe triumphum bellatoris
Spectat aſtrigero è ſolio
Maieſtate verendus amica,
Ipſe triumphanti læuo tèr lumine plaudit,
Plaudit & aligerum ſenatus.
Age victorem carminis alis
Sectemur ſuper aſtra volantem,
Ille ſed humanas humano vertice maior
Contemnit voces, laudumque volatile murmur,
Cui diadema ſacræ contextunt laudis ouantes
Aligerum, Diuûmque chori, Cœloque ſequenti
Non moritura canunt ſociantes carmina neruis
Percuſsis blandè plectro, digitiſque magiſtris:
Iàm ſileant cytharæ mortalia ſtamina noſtræ,
Oraque, nam rudibus mortalibus vſq; tacendum eſt,
Dùm loquitur ſuperi mellita caterua Senatus.

Ad Christum Dominum Elegia.

Argumentum idē tractat cum Hymno : *Christe seruati,&c.* sed vario stilo, vberibusq; sententijs ditata, specie, ac re non parum differt meo iudicio, quod maturiori iudicio eruditorum submitto.

CHriste potens, alto proles æquæua parenti,
Prona supercilio qui regis astra tuo,
Arbiter annorū, gemini fabricator Olympi,
Qui pedibus mundi pōdera vasta premis.
Quique iubes Phœbum radiantes luce quadrigas
Ducere, & optatum celsa per arua diem.
Quique iubes Lunam niueos agitare iugales,
Et cum sydereo fulgere nocte choro,
Qui valida frænas lege irreparabile tempus,
Et rerum varias conditor vsque vices.
Cogis & hybernos cursu properare citato,
Cogis & æstiuos tardiùs ire dies,
Induis ac niuibus brumali sydere montes,
Et viduas viridi frondis honore nemus.
Et qui multiplici variorum flore colorum
Fœcundam verno tempore pingis humum.
Et qui dùm rabida findit face syrius orbem,
Flauere auratis messibus arua iubes,
Quique rubescenti roseis diademate baccis
Pomorum nectis tempora læta patris;
Qui gregibus campos, qui piscibus æquora, turbæ
Aera das volucri, frondea tecta feris.
Qui Boream, nimbisq; grauē famularibus Austrū,
Blandior at Zephyri mollia flabra cies,
Qui formidata iacularis fulmina dextra,
Ac trifida sternis barbara corda face.
Tartara qui valido famulantia numine terres,
Mittis & infames sub iuga ahena greges.

Ac prædatoris dius prædator Auerni
Umbrarum Regi multa trophæa rapis.
Fælicesque piorum animas Cælo inseris aureo,
Et das astriferi regna tenere poli.
Aspice præsenti florentia mœnia vultu,
Effice, ne nostro par sit in orbe Duci.
Omnigenisque bonis cumules Florentis alumnos
Urbis, & illorum nomen ad astra feras.
Iàm repetat nostros regina Astræa penates,
Canaque germana cum pietate fides.
Et pudor, & probitas, vigilesque Modestia luces
Demissa, & niueas murice picta genas.
Et facilis pleno Clementia flumine currat,
Diaque cælestes Gratia fundat opes.
Pax quoque floriferis leuiter subuecta quadrigis
Irroret nostras nectaris imbre plagas.
Audior, ætherea Chorus ætheris arce relicta
Labitur in caros officiosus agros.
Cernite fælici labentes agmine diuas,
Cernite diuisi dextera regna poli.
Orbe renascenti Florentem circuit Urbem
Iris paciferis irradiata notis.
Scilicet antiquum redeunt modo sæcula in aurum,
Et fluit augusta luce superba dies,
Mittite spinosas vigili de pectore curas,
Improbe regnato pectore cede timor,
Ite procul miseri, durum genus, ite labores,
Et lacrymæ, & luctus, tristior ac gemitus.
Tuque infausta cohors pænarum, agmenq; dolorum,
Morborumque greges, & malesuada fames.

Pauperiesque grauis nimiùm, quæ ſæpe latenti
Inuida virtuti pectora celſa premis.
Exulet ac luxus fæcundæ prædo parentis,
E quibus ille oritur, nam populatur opes.
Et quæ centenos pro crinibus explicat angues,
Vipereoſque artus deuorat inuidia,
Et regni execranda ſitis, fæcunda malorum
Mater in extremas Orbis eat latebras.
Seu potius ſtygias petat irrequieta plaudes,
Vndè capax ſcelerum protulit illa caput.
Ipſa trahat ſecum vitiorum caſtra ſequentum
Ferrea, namque ætas aurea & illa fugat.

In Tirannum regni ſummè appetentem.

Epigramma æquiſſimis auribus legeretur illis Rerum publicarũ rectoribus, qui ex Oraculo Platonis philoſophantes regnant ad publicam fœlicitatem.

QVid, ò barbare patrium Tyranne
Regnum protrahis, & plagas remotas
Vrges faſcibus impotens cruentis?
Quid vanum imperij ſuperbe nomen
Iactas? falleris, heu miſelle ſerue,
Qui nimis cupit imperare, ſerutt.

In Herodiadis puellæ mortem, quæ Caput S. Ioan. Bapt. ab Herode petierat.

Inſequens in Herodiadis puellæ mortem concluditur per interrogationem, capitis nùm caput eſt precium? dubitantis, & admirantis potiùs, quàm aſſerentis, cũ nulla videatur æqualitas intercedere obſcenum, ac nephandum inter caput infamis fæminæ, & proximum velatæ diuinitati caput D. Io. Baptiſtæ, quo inter natos mulierum non ſurrexit maior, vt diuina veritas apertè, diſertèque pronunciauit.

PRoh palmare nefas? telluris perfida ſyren
Auguſtum obtruncat voce iubente caput.
Vindice dein meritas luit improba flumine pænas
Læſa caput, capitis num caput eſt precium?

De

De Herode debacchante in Puellos Innocentes.

AH, quid fatali ſæuus furit enſe Tyrannus,
Inque ſinu matris cædit iò pueros?
Dùm parat Unigenam diſcerpere vindice ferro,
Brumali exortas quot ſecat axe roſas?
Nempe legit Chriſto flores, nectitque coronam,
Sanguine quam pingit, gratior vt niteat.

Connectitur iure ſuperiori Epigramma de Herode, quod nomen infauſtum, & fatale videtur Innocentiæ, ideoq; non ineptum exordiũ legis; *Ah quid fatali ſæuus furit enſe Tyrannus, &c.*

In Senem laſciuientem.

O Cui iam capitis ſeni
Fundit nix apicem ſquallida ſordidum.
O, dentes cui luridi
Sordent, atque oculi luminis indigi.
Informes & arant genas
Rugæ, quæ citiùs funera colligent.
Maturæ propior neci
Tandem ridiculis pone modum iocis,
Tandem parcere inanibus
Curis tempus amat, qnas dare flamini.
Portandas volucri decet,
Vt molles pueri ludere deſine,
Iàm ceſſet ſtudium leue
Venalis cytharæ, ſint choreæ procul,
Ac pœno toga murice
Depicta, & maculis nobilis aureis,
Sint & florea germina;
Haud nata eſt capiti deciduo roſa,

Hìc ſeriò luſi ad imitationem Venuſini Vatis, qui lib. 3. elegantiſſima Ode *Vxor pauperis* Chlorin vetulam hortatur, vt nequitiæ modum ſtatuat.

Non

Non ſunt lilia turpibus
Intexenda comis, quæ niue candicant,
Quam mors proxima comparat
Hoſtis perpetuo terribilis gelu.

Aetatis Aureæ Deſcriptio Allegorica.

Ecce renaſcentem Cæli indulgentia mundum
Excipit, ac niueæ meliori ſydere luces
Effulgent, quales naſcentis origine ſæcli.
Tum roſeas Phœbus ſubiecta per arua quadrigas
Ducebat, nitidas iaculatus ab ore ſagittas
Mitiùs ardenti, non inuida nubila vultum
Condere luciferum audebant, liquidiſsimus aer,
Inſtar & illimis ſpeculi, dùm florea tellus
Deciduos gremio captabat diuite rores,
Laxabatque ſinus Zephyri genialibus auris,
Dùm picei nigris parcebant flatibus Auſtri,
Nondum aquilo viridem furiali turbine ſyluam
Sternere doctus erat, validoſque ad ſydera fluctus
Tollere in exitium nautæ, Cælique timorem,
Nondum conciderant inimico vulnere luci
In claſsem, celſo regnabat in aggere pinus
Libera turbinibus, maris haud experta procellas,
Nondum crediderat dubius vaga lintea vitæ
Nauta per ignotas errans miſerabilis oras
Infidis animis Boreæ luctantis, & Auſtri,
Nondùm auri ſitiens aurum diſcrimine vitæ
Mercatus, magno ſtat ſcilicet empta cruore
Res, tum finis erat nondum violabilis æquor

Explicatio Allegorica. Mũdi nomine renaſcẽtis intelligo Mundum Politicum; nempè Remp., quæ Polito Principe optimo electo renaſcitur quodãmodo, cum in priſtinam vitam, & fælicitatem aurei temporis redeat; hæc verò erit Mundus inferior, ſuperior autem Cęlum omne cum numinibus.

Meliori ſydere, ſcilicèt influentia meliori à ſyderibus emanante, ſi mũdus ſumatur pro Microcoſmo ſuperior, nempè Cæli erunt potentię animæ rationalis, & quæq; præſtantior Cælũ præſtantius, niſi iuxtà veterum opinionem proprias applicemus Dijs prędidibus planetarum. In hac Allegoria *Phœbus* exprimat intellectum cõtemplatorem, ſiuè ſupremam rationem, aut ſapientiã dominantem in Microcoſmo Politi: *per quadridas roſeas* intelligas Phãtaſiam, aliaſq; facultates animæ vehicula; ſiuè quaſdã operationes Intellectus.

Subiecta per arua, quia ſubiecta ſunt mẽbra Politi intellectui, ſiuè ſapientiæ, vel Principi (nã in

Sacrilega rate, virgineæ tum remige nullo
Spumabant Vndæ, tellus quoque Virgo ligones
Haud sensit, rastrumue, aut duri robur aratri,
Sponte dabat fruges, & flamine culta Fauoni,
Vltro natiuis Vernabat floribus altrix
Perpetuò redimita caput florente corona.
Scilicet illa rosis violas iunxisse sorores,
Et niueis pariter vaccinia nigra ligustris
Gaudebat, variosque simul miscere colores,
Tunc & cæsariem tutò credebat amicis
Flaminibus nemus intonsum, frondentia tutò
Lustrabant sua tecta feræ feritatis egentes,
Non dolus in syluis, non mille pericula, cantu
Quas volucres plaudente aura, riuique susurro
Mulcebant, dociles que comas, Vmbrasque sequaces,
Non his insidias visco, laqueisue colonus
Tendebat, non venator mala retia ceruis
Armatus pharetra, canibusque sequentibus, arua
Ludebant damæ canibus per amena magistris,
Innocuæ vituli præbebant ora leænæ,
Errabant impunè greges custode remoto
Tesqua per, & saltus, custos lupus ipse, vel Vrsus
Fidus erat, quoties choreas duxere sub Vmbra
Roboris informes choreas, quos fœdere blandus
Iunxit amor, socio regnabat gratia mundo,
Gratia, quæ rigui manabat gurgite lactis,
Dùm mel syuestri dè cortice prodiga quercus,
Gemmeaque auratas voluebant flumina lymphas,
Pax quoque regnantes oleis innexa capillos
Diffundebat opes cornu prædiuite ruris,

Veris

in Allegoria Reip. Phœbus indigitat Principem illustrem, & excellentẽ inter Ciues, vti Phæbus excellit inter sydera Ciues, plebs, oppida subiecta: *Nitidas sagittas* intellige, vel luminis, vel amoris, quas & intellectus, siuè sapiẽtia vibrat, vel alia Allegoria Princeps excellens, qui exẽplo, monitisque aureis illustrat Ciues ad amorem virtutis, & patriæ inflãmans: *Ore mitius ardenti*, quia ardor ille placidus, & salubris, non immitis, atque perniciosus est.

Inuida nubila essent in Microcosmo affectiones immodicę, quæ inuoluũt lucem intellectus; in alia Allegoria malorum Ciuium, siuè plebis imperitæ maledicta, inuidia, imposturæ, quæ vultum Principis *Luciferum condere audent*, aut certè conantur. *Tellus florea*, in Microcosmo Anima sẽtiens, & vegetalis; *siuè corpus rores* captare dicitur, scilicèt gratias cadentes à viribus supremæ partis.

In alia Allegoria pars infima Reip. beneficia captans à Principe, Senatu, Magistratibus diffusa.

Zephyri genialibus auris, scilicet Principis, qui nutrit egenos, vel muneribus per liberalitatem, vel spe, ope prudentiæ.

Austri sunt liuor, & dolus calnmniarum artifices, qui alienam existimationem nigris flatibus, velut afflatu aeris pestilentis inficiunt.

Aquilo

Aquilo significat immoderatum appetitum proprij boni, qui huius appetentem impotente impetu adeò impellit, vt amicos, affines, fratres ipsos prosternat, ne impedimento sint in expetito ~~fine~~ consequendo.

Veris & assidui, nam Ver dabat omnia, quæ, vel
Autumnus parit, aut æstiui syderis ardor;
Nondum vipereos agitans discordia crines,
E Phlegetonteis caput exitiale fluentis
Extulerat, viroque viros infecerat atro
Dira parens belli;
Non furor in se se præceps sitibunda cruoris
Carpere tela manu, aut virosos suaserat enses,
Nondum sæuities dias in luminis auras
Prodierat, rabiesque soror: latitabat in imo
Ferrum telluris nondum feralis, & aurum
Deterius ferro, nondùm execranda cupido
Imperij, scelerum facunda magistra Tyrannos
Edocuit fortes rabidè prosternere ciues,
Siue dolo, seu fulminibus, dapibusque ministris,
Carnifices epulas, & pocula mixta veneno
Dùm super infidis apponunt (horreo) mensis.

Ad N. Aulicum gratia florentem.

Hæc ode *Nuthetica* àd aulicum gratia florentem floret sententijs frugiferis, quæ tamen in speciem laudatæ, re à plerisque reijciuntur, qui aura gratiæ fluctu mobilioris inflant vela spei, quæ subdolè latentes inter scopulos, & speciosa pericula naufragium tandem facturos ducit, euehitque nauigantes adeò incertum oceanum.

IAm linque Regis lubrica limina,
Et blanda amoris flamina mobilis,
Aulæque contemnas inane
Lumen, & occiduum fauorem,
Vt vix quietum verberat hostibus
Aequor sonorus fluctibus Africus,
Sic principis quassat columnas
Inuidiæ furialis Auster,
Excelsa nempè haud inuidia carent,
Ast inuidiorum perpetuùm patent,

Quæ

Quæ liuor infecit veneno;
Fulminibus miseranda crebris.
Emißa Cælo vindice montium
Culmen superbum spicula verberant,
Ferire quæ parcunt penates
Agricolarum, humilesque valles.
Sunt ima tuta, & si moueas loco,
Tuto mouentur libera casibus,
At celsa conuellens in imum
Præcipitat grauiùs ruina.

Parafrasi del Sig. Dottore Francesco Rouai.

DElla Regia infedele
Alle lubriche soglie omai t'inuola,
Non più l'Aura, che vola
Di fallaci speranze empia tue vele:
Sprezza il cadente, misero fulgore
Di balen, che nascendo auuampa, e more.
Qual suole Affrico acerbo
Suoi fiati armar contro all'auuerso flutto,
E sopra il lido asciutto
Flagellar pien di spume il mar superbo,
Tal và de' Grandi à flagellar l'Impero
Austro d'inuidia infellonito, e nero:
Lunge al mortal confine
Nasce trà nubi il fumine tonante,
Ruotasi fiammeggiante
Poscia, e l'Alpi ferisce à sè vicine
Mentre non tocco in ima valle adulto

Suo fragor non pauenta vmil virgulto.
Radono il ſuolo amico
Le ſprezzate Capanne, e'n van percote
Se gonfia Auſtro le gote,
O di nembi s'ammanta il Ciel nemico;
S'alza Edifizio altier, ma lo diſſolue
Suo pondo ſteſſo infrà ruina, e polue.

Comes Guido Guerra Guelphorum Hetruriæ imperator.

Ille ego ſum bellax generoſo è ſanguine Guido
Guelphorum columen, hoſtis at excidium.
Ardua mens, animus prudens, interritus, ardor
Entheus, egregium conſiliumque mihi.
Sed, mea quæ fuerit, teſtetur Etruria, virtus,
Mamphreduſque Apulis me duce victus agris.

Huius vita manuſcr. Extat authore Phil. Vill.
Legendus Io. Vill alijq; Chron. & hiſtor Flor. ferè omnes; Blondus.
Volateranus, Minius, Carapha.
Landinus in Apol. & in Commen. Dantis Inf. cap. 10.
Hic Guido Guerra Guelphorum Tuſciæ imperator illuſtris prudentia, & virtute militari, bellax, periculorum cõtemptor, magna ſemper appetens, Papyrio Curſori ſimilis, ingenio, animoque admirabilis fuit: hìnc perditas penè res ſępè reparabat, ſæpè victoriam ex hoſtiũ manibus eripuit; exercitus magnos duxit, vi æquè, ac arte vicit inimicos potẽtes. In Sancto Germano oppido expugnando, & in debellando Mamphredo Rege Siciliæ non procùl àb Vrbe Beneuenti victoriæ, quam retulit Rex Carolus, celeberrimæ author, ſiuè cauſa præcipua ingentem gloriam vnà cum ſocijs Etruſcis obtinuit fuſis hoſtibus clade memorabili. Hæc tradunt fide digni ſcriptores conſentientes. Sanſouinus addit

Deſcriptio caſtiſſimi, ac pulcherrimi iuuenis.

Vltus olli ſyderalis æmulus Phœbo coruſcat,
Virginalis eniteſcit ore pudor muricato,
Ac tenella labra blandè coccini venenat ardor,
Aemulas cœleſtibus ocellis bonos faces inaurat,
Aurea & lanugo mala florulenta veſtit,
Mala, quæ niuale ſanguinis roſis decus notantur,
Vtque lilium parente Vere florum candicat, ſic
Lacte veſtita, indicoque colla fulgurant nitore,

De ſtatua cerea elegantiſſima.

EXprimit ad viuum facundi Rhetoris artus
Fictor, cui donat vocem, animamq; ſimul.
Arte potens mira, digitiſque animare figuram
Nùm veros docili finxit in ore ſonos?
Cur tamen ille ſilet? ne creditus æthere fictor
Subduxiſſe ignem, crimina falſa luat.

Chorus Sacrarum Virginum ad Virginem Deiparam.

CAnite, ò proles innuba, Matrem,
Numinis alti niueam Matrem:
Tibi virgineas intacta niues
Pectoris almi florida proles
Dicat, ò niuium Regina potens,
Cui flammifero frigida pubes
Nix pluit axe.
O' virginei floris alumna,
O' virginei præſes honoris,
Arx ſacrati fida pudoris;
Te celſa poli
Murmure famulo regna verentur;
Te pauet atri regia Ditis,
Domitrix Erebi Diua rebellis,
Imperioſo quæ pede calcas
Infame genus.
Te Cocyti Rex ipſe timet,
Teque Sorores, quæ vipereo

dit ex F. Leandro Guidonem Guerram ducē Clem. IV. Pontif. adeptum fuiſſe Mutinam, Rhegium lepidi, Viterbium.

Deſcriptio caſtiſſimi, ac pulcherrimi iuuenis àb adoleſcēte me tot ab hinc annis effuſa (vt alia non pauca huius voluminis bibartiti carmina) non reijcitur àb iudicio ſolidioris ætatis. Hanc ſequitur floridam acutius Epigr. de ſtatua cerea elegātiſſima.

Sed àb humanis luſibus aſcendamus in Cælū Cælorum Deiparæ Virginis laudes diuinas canentes, quæ noſtro ore immundo ſublimiores à ſacratis Virginibus canantur.

Chorus hic contextus, dum concepta nubila peſtis, ac belli ſanguineos imbres Italię minitari videbantur Anno 1625. ſecatur in laudes, in preces.

Proximus ad diuina gradus eſt Philoſophia Moralis, quæ humanos animos purgans, & excolens veluti Templa diuinitate non omninò indigna reddere conatur. Hìnc non immeritò coniunguntur Poematio diuina celebranti Diſtica Moralia, quæ potiùs actionē, quàm explicationem amant nullis ferè difficultatum nodis implicita.

Crine virentes sibila centum
Guttura vibrant, fœta veneno,
Plena dolorum, quæ discerpunt
Usque nocentes.
Quique trilingui Cerebrus ore
Latrat custos tristis Auerni,
Et monstrorum castra latentum;
Tibi seruit auens machina mundi,
Tibi regnantes aurea crnes
Sydera nectunt:
Tibi Luna pedes subdita lambit;
Tu non tyria veste superbis,
Nec gemmiferum tegmen iactas;
Quam spontè faber Sol radianti
Velat amictu.
Tu tergemina Numinis alti
(Nata, & genitrix vna Tonantis,
Filia Patris, Flaminis vxor)
Iride vernas picta, noueni
Arbitra Cœli.
Hùc virgineum caput aduerte,
Ac fœlici discute vultu
Ferrea fusci nubila mundi,
Et sanguineos disijce nimbos,
Mortisq; minas, Martisq; manus,
Procul ò belli pelle timorem
Pace reducta.
Tua te colimus turba quotannis,
Tibi vitta comas velat, onusta
Tibi dona damus florida votis,

Tibi

Tibi votiuis templa tabellis
Picta renident.
Tibi fœlices vrit odores
Sacer Antistes, tibi solemnes
Deuota preces concipit, ore
Simul alterno solemne canit
Alba niuali veste caterua,
Et supplicibus cerea gestans
Lumina palmis.
Ipse, loquenti qui pede currit,
Arnus amatæ gloria Floræ,
Arnus amanti murmure ludens,
Gurgite ridens obsequiosis
Te colit vndis.

Disticha Moralia.

Syncerus

ITe procul fraudes, Stygij Ducis improba proles,
Menti candor inest nobilis, ite procul.

Ad ventosos

Ipse omnes odi fastus, procul este tumentes,
Rideo, quæ vento pectora vana tument:

Carmina lasciua.

Fæda velim puris pater Arnus carmina lymphis,
Aut auido claudus deleat igne faber.

Puluis, & sanguis militum.

Qui notat ærati bellantia militis ora,
Puluis, honor frontis, sanguis & ipse rosa est.

Ebrius

Edomitus vino reserat penetralia mentis,
Et loquitur cordis nuncia verba sui.

Auarus

Seruat vt Hesperidum radiantia vellera serpens,
Non secus arcanas seruat auarus opes.

Inuidia virtutis filia

Virtute parta gloriæ viget mater,
Domitrixque mortis, temporis triumphatrix.

Fœmina pudica àb auro inuicta

Auro quæ niueum seruat non victa pudorem,
Contemnet ferrum tutior, atque faces.

Poeta poeticè laudatus

Vates fœlici perfectas carmine formas
Parturit, hoc magni est Numinis, Ergo Deus.

Aurum non exoptandum

Ne sitias nimium, pubes ò nobilis, aurum,
Auri nam fulgor quot mala gignit inops?

Ad muliebrem Philosophum

Quid tu fœminea dociles colis arte capillos?
Signare hos radio non decet, astra decet.

Campus inutilis allegoricè significans animum

Eludit campus fallacis fertilis herbæ
Spem, votumque simul pauperis agricolæ.

Pulcritudo corporis.

Temporis hæc spolium est, morborum præda, pudoris
Exitium, ludus mortis, & esca mali.

Crudelis

Ah lapis, ah ferrum est, multo qui funere gaudet,
Flumina quique animo sanguinolenta bibit.

Pœna

Pœna

Vindex criminis æqua pœna crimen
Sectatur, velut vmbra fida corpus.

Prudentia

Viribus armati prudentia præstat inuermis,
Vir maiora gerit robore consilij.

Odium

Est amor huic genitor, pulcri mirare parentis
Informem natum? monstra vel ille creat.

Regnum non acquirendum fraudibus

Fraude nefas ipsos regno viduare, vel hostes,
Et quæsita dolis regna citò pereunt.

Cum tot sint Reges tamen orbus Regibus Orbis,
Aut certè multis creditur esse, quid hoc?

Amans

Qui loquor & manibus, pedibusque, oculisq; disertis,
Nunc me facundum quis neget esse virum?

Princeps bonus

Vt pater imperium blandis moderetur habenis,
Est procul à vero Principe nempe rigor.

Idem

Principis est munus fælices reddere ciues,
Aetas non vno principe quæque caret.

Princeps malus

Qui populi populatur opes, hauritque cruorem,
Haud princeps est me iudice, prædo sed est.

Respublica

Rara diù constat Respublica, si extima desint,
Peiora infausto viscere bella parit.

Ty-

Tyrannus

Prædo pudicitiæ, liberatiſque carybdis,
Sanguinis, atque auri, venditor & fidei eſt.

Hiſtoricus

Non debet Regi, aut genio indulgere, ſed vni
Syncerus vero ſeruiat hiſtoricus.

In laudem Ferdinandi ij. Mag. Etrur. Duc. v. Ode.

FLamma quæ noſtras modò per medullas
Serpit, & curſu cita fulguranti
Igne luctantes populatur artus
Neſcia vinci?
Flamma nùm Phœbi domat impotentis
Vatis arcanos furioſa ſenſus?
Me premit dius furor, en canoro
Excitus æſtro
Thraciam poſco cytharam, loquaces,
Phœbe, tu neruos anima, & furentem
Antra per ſacri nemoroſa collis
Dirige Vatem;
Namque vocali pede rupis altum,
Quà datur paucis, tetigiſſe certum eſt;
Te ducem poſco, renuis? recenti
Auſpice curram.
Ipſe Fernandus via, dux, & author,
Meta, vel curſus fuerit, ſecundes,
Inclyte ò Princeps, iter inſtitutum
Vatis anheli.

Vnde,

Secundi Poematum libri principium à Principe auſpicat' fui hac Ode, quam Etruſca Paraphaſi nobilitauit Etruſcus Poeta nobilis tot Traged. & & carminibus edendis, & editis Hieron Barthol,

Cuius principium refert æſtrum Phœbæum, quò Poeta imflammatus rapitur ad canorum Par naſſi montem mente diuini furoris conſcia.

Hìc Magnum compellaui Laurentium Medicē, vt in Elogio Oratorio ſecutus celebres ſcriptores, qui Laurentium MAGNVM cognominant; inter hos Iouius non ſemèl, Iac. Phil. Berg. lib. 14. dum agit de Piſana Vrbe, Gyraldus in Dialog. de Poet. Io. M. Toſcanus in Peplo, vbi Laurentium Magni cognomen meruiſſe affirmat, & Parentis literarum titulo honeſtatū à literatis, Boterus, qui lib.2. de Rat. ſtatus cap de Principibus, qui magni, aut ſapientes ſunt appellati.

Vnde, quò curram? repetamne cunas
Gentis augustæ, patriosne fasces,
Ire per laudes ne libet vetustas
Alite cantu?
Facta nùm Cosmi referam, secundum
Flora quem nouit genitrix parentem,
Cuius augustum veneratur orbis
Nomen, & astrum?
An canam magni virides honores
Vsque Laurentis? pater eruditi
Agminis Musas aluit, Mineruæ
Filius altæ.
Italum rexit moderator orbem,
Arbiter Regum venerandus iras
Fregit, ac vrbes malè dissidentes
Fædere iunxit.
An canam septos triplici corona
Orbis augustos triplicis Dinastas,
Quos catenati coluere manes,
Sydera, tellus?
Proximos illi memorem Quirino
Murice illustres, rosa quos marita
Pinxit, ac vltrò sociauit almæ
Lilia gentis.
Alter hos æquis referat Camænis,
Atque Reginam geminam potentum
Fertilem Regum, cui serua fluxit
Vnda Garumnæ.
Anne Ductores celebrem? Ioannes
Inter hos fulget validus furorem

Nella Casa de' Medici, doue è sempre fiorita in vn modo singolare la prudenza di stato, sono stati tre, che si hanno acquistato il sopranome di Grande, Cosimo il vecchio, Lorenzo, e Cosimo Gran Duca; Lorenzo perche di capo della Republica Fiorentina, si fece col suo valorr arbitro delle cose, e de' Potentati d'Italia.

Arbiter Italię compellatur àb Ammirato in fam. Soderina, à Gab. Zinano in libro de ratione status.

Sed omissis longè plurimis scriptoribus, qui summis Laurentium laudibus efferunt, referam honorificentissima verba Galeoti Martij de Doctrina, &c. c. 6. in quo, & alijs capitibus, & in Prohemio inusitatis & admirandis laudibus attollit Laurentium.

Gaudeant ergo Bononia, Florentiaq; Appeninum à supero, inferoq; Mari munientes, quarum altera latissimo Imperio, totius orbis commercio', artificijs, literis, & rerum nouarum inuentione clara, itaut in omnem ferè Orbem brachia porrexit. Bononia verò suis finibus contenta, studiorum marer, vbertate soli, & varietate fructuum nulli secũda, Montibus, Collibus, campisque ornata, bellicæ disciplinæ parẽs, itaut integrum Palladis Numen habuisse cernatur Gaudeant inquam his duobus ciuibus clarissimis, ac animo, & beneuolentia coniunctis ita, vt quilibet Ciuitatis suæ cul-

Frangere vndarum, rabidaſque turmas
Italus Hector.

Læſit hùnc poſtquam grauis ira Martis
Fulmen ardeſcens Phlegetontis igne,
Strauit ac Romam, ſimul & Latinæ
Gentis honorem:

Dignus hoc Magnus genitore Coſmus
Luce natalem cumulauit vrbem,
Primus Europæ nitor, ac renati
Gloria mundi.

Fonte ab hoc lucis radiante curſu
Quanta per riuos geminos dirempta
Lux inundauit ſitientis ædem
Solis vtramque.

Nempe Franciſcus geniale ſydus
Floream veri Patris inſtar vrbem
Rexit, æternos cui dux parauit
Pallas honores.

Alter auguſto redimitus oſtro,
Romulas primùm decorauit arces,
Sceptra dein regni vigil, atque faſces
Geſsit auitos.

Huius & nomen, iubar & perenne
Obtinet Coſmi generoſa proles,
Cuius Hetruſcæ venerantur Vrbes
Nobile ſydus.

Quid priùs tollam, niueoſne mores,
Ingeni florem, decorum an cohortem,
Quæ Ducis ſtipant latus, an ſequentum
Agmen honorum?

culmen poſſidens, diuerſo tamen calle incedés Principatum obtineat; & Bononia ſemper ſe debere Florentiæ fatebitur, cum ea Ciuem pepererit Ioannis Bentiuoli ſeruatoré; Nam Laurentius conſilio, ſapientia, auctoritate diuitijs, modeſtia paritèr, & amore Patriæ nulli ſecundus tantam adeptus eſt gloriam, vt maximi Reges, & à nobis remotiſſimi conſilium Laurentij, vt à Vate quodam ſemper expectent.

Picus verò Mirandula mirandus ingenio diuino, atq; doctrina omnigena, quibus iuuenis ſenes æui ſui doctiſſimos ſuperauit, Rhythmos Laurẽtij longè præfert ipſius Petrarcæ carminibus, & Poemati Dantis.

Huius Herois virtutem, & facinora glorioſa celebrarunt, hiſtorici alijq; ſcriptores laudibus ſummis, maximèq; Iouius in Elogio luculentiſſimo, Marcus Guazzus in hiſtorijs rerum memorabiliũ; vbi MAGNVM appellat Ioan. hìnc meritò cognomento Magni hunc inſigniui, dum texui Elog. Cabaliſt. quo breuiſſimè deſcribitur, aut delineatur tantus Heros, de quo memorabile tradit Varchius in hiſt. lib. x. vbi hæc habet *Tutti buona, anzi ottima gente, perche vi erano quaſi tutte le reliquie delle Bande nere del Sig. Giouanni, ed era coſa grande à dire, che niuno ſtette con quell'huomo ancorche per ragazzo, non che per paggio, il quale non diueniſſe col tempo non ſolo*

Ca-

Scilicet

Scilicet rectrix famulantis Orbis
Prouida, & veri genitrix, magistra
Consill effinxit generosa nostri
Pectora Regis.
Dia nascenti Venus ore fausto
Risit, excepit gremio caterua
Gratiarum altrix, pudor ac niuali
Flore puellum
Cinxit; at laurum viridante semper
Fronde fœlicem, resonique fontis
Rore nutritum capiti parauit
Munus Apollo.
Fallor, an summi patet aula Cœli?
Cerne, se scindit polus, astra cedunt,
Perge, te Cœlum beat eloquenti
Omine princeps.
I supèr celsos titulos auorum,
Auguror, Phœbus mihi corda quassat,
Scilicet laudes superabis olim
Maior auitas.

Parafrasi del Sig. Girolamo Bartolommei.

NOua fiamma vitale,
Qual frà le vene serpe, e m'arde il seno
Con incendio sereno
Possente sì, ch'il contrastar non vale;
Forse il foco immortale
Scende da Febo domator de' cori,

Capitano, ma Capitano eccellentissimo.

Ioanni defuncto bella Grecorum à Zenophonte scripta dicauit interpres Franciscus Strozza cum titulo. *Alla gloriosa memoria dell'inuittissimo Sig. Giouanni de Medici, Principe, & lume della Militia, &c.*

Ioannis etiam facta extollit in Epistola nuncupatoria ad Aloysium Ardinghellum Episcopum Fossumbruni in eundem librum.

Che de' ſuoi ſacri ardori,
Mentre i ſenſi n'accende
Sueglia al canto la mente, e pronta rende.
Pien del diuin furore,
Cui Febo inſpiratore ecco mi ſento;
All'armonico accento
Chieggio la cetra, ond'io disfoghi il core;
Tù tempra le canore
Sue fila Apollo, e dona vita al canto,
Tù con mio nobil vanto
La guida all'ardue cime,
Oue rara d'altrui orma s'imprime.
Apra il chiuſo ſentiero
Il Gran Fernando, egli ſtrada, e Duce,
Tù con l'aurea tua luce
Mi ſcorgi, inclito Prence, à fine altero;
Ma doue hor'io Nocchiero
Frà mar di lode ſenza riua, ò fondo
Volgo il corſo ſecondo
Frà gli auguſti natali
Imperi, Dignità, Fregi regali.
Rammenterò quel grande,
Cui Flora ſi chiamò felice prole,
Coſmo nouello Sole,
Che lo ſplendor del nome intorno mande;
O quel, che fama ſpande
Lorenzo alunno delle Muſe, e figlio,
Fonte d'alto conſiglio
Reſo frà gli altri pregi
Pacier d'Italia, ed arbitro frà Regi.

Quelli,

Quelli, ò pur fia, ch'io canti,
Che di gemmea corona ornar la chioma
Padri dell'alta Roma
Sacri del Mondo gloriosi Atlanti,
Que', che ne' chiari ammanti
Natiui a' Gigli maritar le Rose,
Frà le donne famose
La gemina Regina
Madre de' Regi, che il Garunna inchina.
Forse il guerrier sourano,
Lampa d'alto valor renderò conto
Quel Giouanni, che pronto
Ruppe gl'impeti ostili Ettor Toscano,
Prò di senno, e di mano
Mentre'l nobil Campion fulmine spense,
Ch'inuida Erinni accense,
Le belle glorie spente
Lasciò con lui della Latina gente.
Di lui ben nato pegno
Cosmo, che più lucente fè la riua
Toscana à lui natiua,
Ornamento d'Europa, e pregio degno
Da lui à Scettro, e Regno
Qual da fonte scendeo ricco di lume
Francesco vn'aureo giorno
De fregi d'alto honor da Palla adorno.
Altri d'or cinto, e d'ostro,
Che rese al Tebro adorne più sue sponde,
All'Arno imperlò l'onde
Di lui rettor, di virtù raro mostro,

Glo-

Gloria del ſecol noſtro
Non men de' pregi, che del nome herede,
Rege di Flora hor ſiede
Prole di Coſmo bella,
Che'l Mõdo ammira qual fulgente ſtella.
Noto frà vanti ſuoi
Farò l'ingegno, e'l ſuo gentil coſtume,
Del regio honore il lume,
Onde lampeggia frà più chiari Eroi:
Per lui ſceſe frà noi
Madre di verità la donna eterna.
Che le coſe gouerna,
E ſi fè conſigliera
A lui nell'opre, e ſua maeſtra altiera.
All'hor, ch'egli naſceo,
Vener gli arriſe, e lo raccolſe in grembo
Paſitea, mentre vn nembo
Di bianco fior l'almo pudor ſpargeo,
In ſua pompa, e trofeo
Prepara Apollo il ſempre verde Alloro,
Che nutre il ſacro Coro
Delle noue ſorelle,
Onde coroni vn dì ſue chiome belle.
Vaneggio poſto in bando
Da me medeſmo, ò veggio il Ciel, che loco
Apre à tremolo foco,
Augurio fortunato al gran Fernando,
Principe memorando,
S'innanzi al tempo riuelar mi lice,
Quel, ch'Apollo predice,
A gli

A gli Aui il vanto inuoli,
E con ali di gloria al Ciel ſoruoli.

Liber ad contemptores nebulones.

NON frontem gero pumice expolitam,
Non comas nitor aureus coercet,
Non pingit tyrium genas venenum,
Non cedro ſtabili notantur ora,
Quid me deſpicis, ò ſuperba turba?
Me cultus modicè pater creauit,
Patre non decet eſſe cultiorem.

Idem ad Benignum Lectorem.

CEntum alij ſcribant luſus, & ſcommata centum,
Innocua authori carmina namq; placent.

Deſcriptio riui ameniſſimi.

VIden, iſte quàm liquentes,
Vitreaſque riuus vndas
Agit, ac leuem ſuſurrum
Per amica ſaxa labens
Ciet, atque flexuoſus
Fugit alueum, & maritis
Rigat arua culta lymphis
Viridi arborum corona,
Viridique ſeptus herba

Præterito Epigrammate gemino libri, calamum vocat Deſcriptio riui amęniſſimi, quę verſibus Anacreonticis contexta me hortatur, vt aliquid de Anacreonte adeò elegantis, & canori carminis authore ſcribam. Hic patria Teius, vini appetentior elegantem, & conſonam vitæ mortem ſortitus eſt acino vuæ paſſæ ſuffocatus.

Ab Anacreonte barbiton inuentum fuiſſe tradunt, qui amatorias cantilenas cecinit ſuauiſſimè ſed

Spa-

Spaciantibus virentem
Parit vmbram, & ad gemellum
Oculos ciet soporem.

De Tormentis muralibus Prosopopæia Vegetij.

TAm fera quis miseræ necis instrumenta parauit?
Fulmina tergeminis æmula fulminibus;
Aemula cur dico? bellantur fortiùs ista,
Maiori aut certè corda pauore replent.
Nempe valent celsas validis cum turribus vrbes
Sternere, tecta virûm, sternere templa Deûm,
Et lauri syluas, quæ rident fulminis iras,
Quod parat incassum Mulciber igne faber.
Quid tua contorques, scelerum venerabilis Vltor?
Vis terrere homines? fulmina nostra cape.

De Ferdinandi Cæsaris Victoria e P. Com: Rheni relata duce summo Cæsarei exercitus Bauariæ Duce.

TVrgidus horrendo voluebat murmure lymphas
Rhenus, & Austriacos terruit vnda minax;
Sæuitiem haud passus fluuij Fernandus iniqui
Victori tumidas ense repressit aquas.
Ergo quid æquoreis regnat Neptunus in vndis?
Ferdinande, tibi debita sceptra cape.

De

sed intemperanter sectatus est lusus, Venere amores, qui peculiare videntur argumentum Poetæ amœnissimi merum mel, ac nectar effundentis. Sed breues humanæ deliciæ, quas horror fulminis, ac mortis comitatur in exitium humani generis inuentis fulminibus terrenis, an tartareis? de his velut indignans exclamat Vegetius.

Bellica instrumenta, bellumq; deformes parentes formosam pariunt filiam Victoriam. Hanc Ferdinandi II. Cæsaris pietati debitam, atq; virtuti summæ Bauariæ Ducis summi ducis exercitus Cæsarei puerilibus camœnis attigi, de qua, & de Militibus flumine obrutis Epigrammate succedenti descriptis lege Fr. Franciscum Longum Capuccinum in Breuiario Chronologico, vbi Maximiliani Ducis Bauariæ Epist. ad Paulum V de Victoria parta, cuius fragmenta exscribam.

Vngari multis iam eorum prostratis, vt fuga se seruarent, in Moldao flumen se se præcipitarunt tranaturi; sed mille circiter in aquis interijsse dicuntur, &c. Hodie quoq; Regni Bohemiæ Status, Comites, Barones, & Nobiles crimen publicè deprecati, mihi nomine Cæsaris nouum homagium præstiterunt, &c. Ita hoc anno (Deo soli laus) Austria superior omnis Cæsari subiecta, inferior trãquilla, & àb hoste liberata, complures Bohemiæ tàm

De Militibus flumine obrutis.

CVm manus hoſtilis victrices victa cateruas
Vitarit celeri præcipitata gradu,
Se iacit in fluuium, tunc inclyta Ferdinandi
Vindex aduerſos obruit vnda viros.
Si coniuratæ pugnant pro Cæſare lymphæ,
Sceptra ſub illius flumina cuncta fluent.

Ad muſcam, quæ volitans in os meum irruit, ac dum ſemiſepulta errabat in viſceribus, ſputum ego cruentum eieci.

DVm lecto ſuper accubo, ſupinum
In os irruis, inquieta muſca,
Et viua in teneris vagaris extis;
Prædam ſedula quæris, an ſepulcrum?
In viuo tumulo ſepulta viue.

Idem argumentum.

ME miſerum, hic cruor eſt? roranti ſanguine manant
Ora, heu cum facili ſanguine vita cadet?
Heu, quem non potuit rabidus canis ore voraci
Cædere, non mulus calcibus ærigeris.
Non rota deciduum latus oppreſſura quadrigæ,
Non ſonipes curſu præcipitante furens,
Non quæ Mænalio, dum luderet ille, miniſtro
Penſile ſtrinxerunt ſtupea vincla caput.

H — *Quem*

tàm Vrbes, quàm arces captæ: antè Pragam hoſtilis exercitus profligatus: Praga occupata, & Status Regni Bohemiæ in Imperatoris fidem, & obſequium redacti, &c. Pragę 12. Nouemb. 1620.

Connectitur Paul. V. Reſp. qui Maximilianum merito præconio celebrat. Et ſanè Pietas, Virtus, Fides, & facinora præclara tanti Ducis præconium excellens viuentiũ, & poſterorum admirationem promerentur.

Tria Epigrammata de muſca ingenium exercuere argumento ſanè Poetico; cum ſimilia, ſcilicèt de rebus minimis maximi tractarint Poetę non ſine laude: procùl, ò procùl eſte prophani, nimirum imperiti, ac proindè iniqui Poetarum cẽſores, ſiuè obtrectatores; vos procùl eſſe iubent, & gemina de geminis auibus miliaribus Epigrammata.

Quem non exceptum puerili gutture virus,
Victorem toties morte timente ſuum.
Proh dolor, heu genus ò ſemper lacrymabile mortis,
Muſca feret vilem huic ſemiſepulta necem?

De eadem ſepulta luſus.

AFfer odoratæ flagrantia munera ſyluæ,
Funereas affer, pulla caterua, faces:
Nobilis eſt tumulus, ſint ſplendida funera: tantum.
Muſca requirit opus? Gaddia facta modo eſt.

In Eunuchum fictum argumentum.

QVæ mihi nunc ſe ſe mutilato corpore imago
Obijcit informis, prodigij, anne hominis?
Pignora cara nequit genitor nouiße puellos,
Nec genitrix natos paſcere lacte poteſt.
Infœlix monſtrum, cui nomen amabile matris
Natura, & dominus cui negat enſe patris.

De Cia Vbaldina filia Vannis à Suſinnana, quæ vxor Franc. Ordelaphij tyranni Foroliuij, Foropopuli, ac Ceſenæ præfulſit bellica virtute, animique inuicti celſitate. De hac Heroina lege Mat. Villan. Chron. & Seb. de Rub. Epiſt. ad Mannellum, & Sanſ. in fam. Malateſtarum.

De hac Heroina Elogium multis àb hìnc annis Etruſcè ſcripſi, ſed nō abſolui. De familia Vbaldina mentionem honorificam faciunt Scriptores pænè innumerabiles, è quibus Volaterranus grauis hiſtoricus non ſemèl, ſed præcipuè lib. 6. cap. 133. In hac parte multa ſunt oppida à Feretranis, Vbaldiniſq; poſſeſſa, Inter quæ Pergula, S Angelus, vbi mercatus, Carda, Maſſa, &c, Guido filius pr. Vrbini Dux, &c. ante

SAlue, ò bellatrix generoſæ ſtirpis Amazon,
Quæ premis aduerſos caſſide ſepta duces,

Obſeſ-

Obſeßam validis tutaris ab hoſtibus vrbem,
Non ſemel atque hoſtes Marte fauente necas;
Aſt illis demum numero ſuperantibus, atque
Iam iam, quam ſeruas, arce ruente ſolo
Vinceris, inuicta conſtans at mente triumphas,
Quod tibi ſors aufert, mens decus ingeminat.

Cum cœnarem, gladio panem cæcidi, è quo geminæ aues miliariæ aſſæ, & benè conditæ prodierunt.

DIſcumbebam auidus menſæ cum Patre parente,
Parturit en cæſus panis aues geminas,
Natiua hæ ſuperant teretes pinguedine turdos,
His cedit perdix, pauoque centoculus.
Si genitor, genitrixque parit par dulce volucrum
Panis, quid iungit connubium volucres?

Idem argumentum.

DVm gladio panem cædo (mirabile) natum eſt
Pane è fæcundo vulnere par volucrum.
Has animo admirans depaſcor dente voraci,
Scilicet his nuſquam gratior eſca fuit.
Cæſareæ ò volucres, gladius quibus obſtetrix eſt,
At miſeris feretrum os, venter & eſt tumulus.

ante cõiugium prolis cupidus Fredericũ Bernardini Vbaldini filium infantem loco filij educauit, &c. Fredericus, &c. deceſſit, relicto filio Guidone, qui nunc viuit, potentiæ, nõ fęlicitatis ſucceſſore, &c. de Vbaldinis, vndè genus ipſe Fredericus traxit, pauca dicam. Hi àb initio Ciues Florẽtini fuere, ac in agro Mugellano Caſtra plurima poſſedere: ſecutiq; Imperatoris Frederici Aenobarbi partes agrum Florentinorum quotidiè populabãtur: quo extincto, gens àb ipſis ſublata, cum oppidis Montanaria, Accianico, Collereto, & quibuſdam alijs, ac Scarparia nunc appellata oppidum munitiſſimum excitatum. Clara in primis militia domus, Ducibus Guidanto, Accio, Ioanne, Gaſpare, Bernardino Frederici patre, Octauiano, etiam Cardinale, qui miſſus Legatus àb Innocentio IV. Neapolim, vt Mãfredo Regi reſiſteret re tamen infecta domum reuertit.

De Sereniſs. Princ. Carolo Card. Med. Gaddiam Hermathenam inuiſente.

EXcipe Purpurei ſydus ſpectabile Cæli,
Ianua, præſentis deuenerare iubar.
Quale decus tibi, qui ſplendor, quæ gloria ſurgit,
Hoſpite proh quanto nobilitata micas.
Cur alios iactas præſignia nomina? ab vno
Ebibis æternum Principis ore iubar.

De meo Auriga, cognomen eſt Mors.

MOrs auriga meum ducit pernicior axem,
Fælix qui poſſum currere morte duce.

Extemporale.

CVr prope te ſolum Idalij flos numinis ardet,
Ac tyrium ridens explicat ore decus?
Num te purpureo velare decenter honore,
Dilectumque parat condecorare caput?
Hæc procul, hæc vilis tibi ſordet purpura, fuſus
Pro Chriſto melior purpura ſanguis erit.

Poſtulare videtur hic locus, vt nomina primorum capitũ referam, quæ noſtram Hermathenam inuiſerunt vidente me. Fuere Card. Med. Epigrammate celebratus, huius frater princeps Laurentius vnà cum Carolo Lotharingio tunc Principe Vademontis, nupèr cum Principe Io. Carolo Nepote è Coſmo II. M. D. fratre; M. Magdalena Archidux Auſtriaca ſoror Ferdinandi II. Cæſaſaris, & è Ferdin. I. M. Duce genitæ Maria, & Claudia, quæ tunc Principem Vrbinatum, deindè Leopoldum Archiducem Auſtriæ coniugem habuit.

Dux Ghiſiæ, filiuſque Princeps Ianuillæ,

Et ſuprà cæteros Præſules, atque Legatos

Alphonſus Gigliolus Epiſcop. Anglonenſ. apud Mag. D. Etr. Nuncius cũ facultate Legati à Latere & Criqueius Orator extrà ordinem Regis Gallię ad ſummum Pontificem. De hac Hermathena ſcripſere nobiles Scriptores, ſed præcipuè Iul. Riccius in Prioriſta, & Scipio Ammiratus Hiſtoricus in Epiſtola narratiua, quam illuſtriſſimo capiti ſcriptam ſanè curioſam communicauit mihi Scipio Ammiratus iunior. Fr. Pona in Elogio Nicolai, B. Bandinellus in Deſcr. Hermathenę eiuſdem ad Voluminum Bandinellum.

Et Fran. M. Gualterottus Canonicus Florẽtinus in volumine Elogiorũ hoc Elogio, & Sonetto.

NICOLO GADDI SENATORE.

NIcolò Gaddi Caualiere, e Senatore superò l'inuidia, benche fuſſe virtuoſo, e di continuata felicità ſemi fecondiſſimi d'eſſa: fù per nobiltà chiaro, per gli onori reputato, per la Virtù riuerito, e per l'ampie richezze di ſingolare venerazione. Non ſeppe viuere ſenza operare, ne

re, ne operare senza lode, ò essere lodato senza merito; fù per la grãdezza dell'animo incomparabile, per la magnificenza grande, e per la liberalità stimatissimo. Nella Patria più d'ogni fauno di stato fece risplendere le sue azzioni, ed alla Italia, e alle più remote parti d'Europa insegnò la grandezza; fù nelle belle Arti non solo d'esse intendente, ma fautore grande de gli Artefici, de gl studi amico, e de i Litterati fauoreuole protettore; i fauori di sourano Principe furono effetti de i suoi meriti; e benche grandissimi fussero, non li superarono facendosi conoscere per l'altrui giouamento sempre autore di nuoue grazie à' bisogneuoli. Seruiuasi delle ricchezze per adunare cose belle, dell'autorità per fauorire i meriteuoli; e del merito per sollecitare i fauori dall'altrui grandezza. Non era cosa veruna, ancorche nuoua, che l'apportasse marauiglia, e quanto erano le cose più eccellenti più erano proportionate al suo animo, che non sapeua appagarsi della mediocrità. Di tutte le cose s'intendeua, e di tutte fauellaua, come artefice stato ne fusse. Se de gli antichi la rarità lodaua, riserbaua à moderni il luogo della meritata lode. In Firenze non si faceuano Nozze, apparati, giostre, ò pompe reali, che da lui trattate non fussero, e l'altre per l'Italia ordinate vi haueua almeno parte il suo consiglio. E se trà i Principi cose grandi si ordinauano, vi s'interponeua la sua prudenza. Ne i Magistrati la Giustizia l'accompagnaua sempre, nella Corte la Verità, nelle risoluzioni l'Integrità, e in tutti i luoghi la Pietà, e la Religione; la sua autorità era lontana dall'ambizione, i fauori dalla superbia, & gli onori dall' inuidia; non si ritiraua in tempo di bisogno dal suo Principe, ne fuori di tempo l'importunaua la sua presenza. Essendo mandato Oratore alli Duchi di Ferrara, e di Mantoua lasciò in quelle Corti con molta dignità accreditato il suo nome; agguagliando nella diligenza, nella bontà, e nella prudenza il Senatore Sinibaldo suo Padre allora, che fù Oratore alla Santità del sommo Pontefice Paolo Quarto. Rese testimonianza della sua Religione la Cappella, che in Santa Maria Nouella fabbricò in quei tempi degna del primo luogo; contrasegnò la sua Magnificenza, che non sapeua non dimostrarsi grande anco nelle Ville gareggiando nella sua di Camerata con le reali; la sua Galleria fù vn compendio di tutte l'eccellenze, hauendo in esa radunato antichità marauigliose, sculture eccellenti, pitture notabili, disegni rari, e libri nobilissimi; siche quasi pare impossibile, che vn Gentilhuomo possa vnire tante cose insieme, che dariano difficoltà à vn Principe sourano posseditore d'ampissimi tesori, nè può la sola Galleria esere opera altro, che di vn Caualiere, e Senatore Niccolò Gaddi. Questa del continuo i forestieri, che vanno vedendo le marauiglie d'Italia, frà gl'Italici stupori per singulare annouerano: finalmente tutte le sue opere furono di perfetta qualità, e degne non della mia penna, ma di quella del Sig. Iacopo Gaddi, per esere degnamente descritte; e certo, che à sì grande huomo per la sua felicità non mancò, che vna nobile figliolanza hauendo hauuto per moglie Emilia figliola del Senatore Lorenzo Ridolfi, nipote del Cardinale Ridolfi, e di Piero Strozzi il grande, con vna serie di chiarissimi parenti, che non escludano i Rè; e perciò non è marauiglia, se da persone Illustris. fù arricchito di simile titolo, e direi che l'hauesse hauuto come Signore di Riano, se prima, e dopo non l'hauesero hauuto altri della medesima famiglia, la quale, come afferma il Varchi, fino à tempo della Repubblica metteua tauola, come alcune altre famiglie, per nobiltà, per ricchezza, e per antichità illustri. Ma non si deuano ad vn solo tutte le cose, perche si ricordi di esere mortale. Mancando finalmente il Senatore Gaddi restò la sua Patria priua di vn chiarissimo ornamento; la Virtù di vn riuerito sostegno; i Principi di vn soggetto riguardeuole, anco da maleuoli stimato, che hauerebbero voluto esere ornati delle sue qualità, per esere partecipi della sua fama, della quale è degnamente capace, chi possiede gran parte dell' eredità delle sue fortune, come la sua gloria.

Gaddi gli alti stupor de i maggior Regi
Il tuo merto sublime insieme aduna,
E serue all'opre tue quella Fortuna,
Che costante nemica è de gran pregi.
Tù rischiari il valor, tù i fatti egregi
Allatti d'oro in generosa cuna,
E solleuando altrui, mostri quest'vna
Via, che i lauri d'onor rende i sua pregi.
Tù l'Arte illustri, e Mecenate all'opre
Scopri virtù, grandezza, eccelso ingegno,
E magnanima altezza in ogni parte.
Da te ponno imparar, come si adopre
Il Saggio, la Virtù, lo studio, e l'Arte,
La Fama, il Tempo, la Prudenza, e il Regno.

De

Descriptio Noctis serenæ.

Candida fraternum famulo iàm pellit àb axe
Luna iubar, fulgetque vago stipata sororum
Agmine stellantum, niueosque citata iugales
Ducit in aereos regnatrix vnica campos,
Et riguo terras humectat rore silentes:
Iàm victrix per membra quies mortalia serpit,
Feßaque mansuetus rapit hostis lumina somnus.

Asinus in detractores Logicos.

Iniqua asellis turba quid præfers equos?
Num magis honesta munera peragunt equi?
Scilicet Achillis terga nobilis Xanthus,
Castoraque vexit Cyllarus Iouis genus,
Iactatque Bellerophonta sessorem aliger,
In apollinari monte qui fontem vngula
Duxit, & in axe stella radiat, Pegasus?
At omnis ista temnat, hæc leuia puto,
Cum geßerim his humeris triumphantem Deum.

De fumo me sequente ad me ipsum.

Stas, fumus stantem petit, hunc fugis, hic fugientem
Sectatur; fumum vis fugere? ah fuge te.

De Vino Pecciolensi, quod aliquando visum est optimum amicis meis.

EN, ò candida turba, Pecciolensi
Spumant pocula nostra rore plena,
In vitro, viden, vt coruscet aurum,
At potabile, gratius liquore
Hyspano, Ammineoque, Lesbioque,
Ergo, candida turba, præpotentem
Deuota prece tèr Deum lacesse,
Vt ventos, pluuiasque, turbinesque,
Cœli ac vindicis igneas procellas,
Arma tristia, grandinisque nimbos,
Prædonunque manus procul rapaces
Custos arceat à parente campo
Nectaris, melius perennè vena
Nobis vt fluat id benigniori.

De eodem Iocus.

SAlue, ò nobile, regiumque vinum,
Salue, gloria Pecciolensis agri,
Tu mî suggeris aureos canenti
Versus diuite vena, Apollinari
Dignum reddis honore, Phœbus alter.
Quid ò Massica vina, quid Falerna
Laudant, Ammineosue, Cæcubosue,
Hyspaniue soli aureos liquores?
Aureus placet, ast inemptus auro.

Sequentia carmina diuersi generis omitto, quippè nō indiga explicationis, aut defensionis; attingam Epigram. de Tolosatto Vberto Pistoriensiū duce summę virtutis, & auctoritatis.

De Tolosattio Vbertio Equite Florentino, Pistoriensium imperatore, ac defensore constantissimo.

QVis mihi nunc sese spectabilis obijcit armis,
Et regit herculea mœnia clara manu?
Hiccine Magnanimi de sāguine Farinatæ,
Cuius inoccıduis Fama triumphat equis?
Bernardi agnatus, Latio qui purpurat ostro,
Quem virtus niueis duxit in astra rotis?
Insignes animæ, multisque sororibus auctæ
Illustrant multo stemmate nempe domum,
Vbertum bene sortita est gens inclyta nomen,
Vberta Heroum scilicet illa fuit.

Hic fuit Cardinalis, & Episcop. Parmensis Legatus in Gallia Cisalpina, & Transalpina insignis doctrina, & santimonia.

Vberta, scilicèt fœcunda Heroum, quorum prę-cipuos memoraui, huius in gentis Epigrammate historico, dùm Florentinas illustres, Monosticis, & velut inscriptionibus (hæ Græco vocabulo Epigrammata compellantur) explico historica fide, ac breuitate summa.

Paraphrasis Virgilianæ lectionis l. 4. Georg. Quid faceret, quò se.

QVid faciat, quò præcipitem miserabilis Orpheus.
Se ferat erepta bis coniuge? mittat habenas
Nùm lacrymis supplex, vt amaro gurgite manes,
Vt moueat prece Ditis inexorabile Numen?
Illa quidem lacrymans, centumque innexa catenis
Flumen inoccidua tenebrosum puppe secabat;
Dicitur hanc Vates celsa sub rupe niualis
Thraciæ, ad algentes viduati fluminis vndas
Mæstiloqua fleuisse Chely, plectroque gementi
Mulcens aligeros cœtus, pecudesque, ferasque,
Et querulo ducens auritas carmine syluas,
Et querulo frænans fluuiorum carmine lapsus.

De

De Vere redeunte Sylua.

EN victa iàm recessit
Anni sæuior imperatrix,
Horrida perpetuo rigore,
Et scuto munita niuali,
Et socijs armata procellis,
Aquilonis ac timenda
Impete fulmineo volantis.
Cecidere iam solutæ
De montibus pruinæ,
Nunc alumna Veris aura
Subditos lustrat genialis agros
Dux renascentis Zephyrus, paterque
Orbis, & anni,
Qui fluuijs reddit cursum, qui gramina campis,
Reddit & arboribus capillos,
Qui pingit arua gemmis
Versicoloribus,
Inuidiosa polis:
Hæc irrigat rosarum
Murice viuo,
Hæc viuido crocorum
Inaurat igne,
Niuibusque liliorum,
Boreæ niuoso scilicet æmulus,
Mitis at æmulus tegit.
Nempe præter liliorum
Non amat hic niues,
Ast horridas calcat pruinas.

Floridam paraphrasim Virgilianæ lectionis, *Quid, &c.* comitatur florifer Zephyrus glaciali tempestate deuicta triumphans. In Victoris laudem enata Sylua est, qua describitur Hyems à Vere victa, veluti dux, & regina crudelior, ideòq; armata ferocitèr.

I   *Salue,*

Salue, ò decorum, florumque pater,
Frigoris victor, niuiumq; victor,
Lepor orbis, ac venustas,
Veris arbiter comantis,
Semper ò nostræ peramæna terræ
Arua florenti decores honore,
Sic tibi semper Boreas, & Eurus
Cedat, & Auster:
Tuque mutati dociles habenas
Temporis ducas, famuloque regnes
Vnus in Cæli radiantis axe,
Vnus in Orbe.

De N.

COngestas effundit opes hic patris auari,
Quid non ergo patris dicitur ille nepos?

De Catullo Poeta.

INter laurigerum Catullus agmen
Candore eloquij micat latini,
At sordet petulans nimis procaci
Vates sordidus elocutione;
Nullus ergo videtur inter omnes
Impurus magis hoc, magisque purus.

Ad N.

SIt procul, arcano ferrum quæ fœdere nectit,
Muscarum magnes est tua lingua trahax.

De

De Formica alata electro inclusa, quæ in Hermathena Gaddia seruatur.

DVm volat Heliadum formica alata sub umbra,
Incautam hæ lacrymis deciduis capiunt.
Retia nunc valeant, lacrymis captare volantes
Si datur, aucupio non opus, at lacrymis.

De eadem.

DVm nemus Heliadum propter formica vagatur
Hanc lacrymosa pij gurgitis vnda tegit.
Protinus hyberno durescens vincta rigore
Formicam perimit gemma noua, ac tumulat.
Quid Reges iactant Paria de rupe sepulcrum?
Formicæ radiat nobilior tumulus.

In Laudem Ioannis Baptistæ Strozzæ Poetæ, Patricij, & Academici Florentini.

Poetam à Scriptoribus plurimis huius æui concelebratum celebraui olim hac Ode, nupèr Elogio Oratorio.

O Bellicosæ gentis amabile
Sydus, noueni gloria & agminis,
Semperque florescens, nec vllo
Flos patriæ moriture sæclo,
Te nostra cantu dicere garrulo
Vellet loquacis Musa parens lyræ,
Ast ordiendi incerta mente
Fluctuat, ambiguoque plectro.

Vt virgo prati florea ſydera
Dum mille frontis ſyderibus videt,
Quæ prima carpat, quæ relinquat
Pollice prætereunte neſcit.
Tu nempè laudum floribus vndique
Vernas recinctus, gloria te patrum,
Et ſanguinis fulgor vetuſti,
Et patriæ radiantis aſtrum
Illuſtrat, altrix te ſapientia,
Te mens tyranno libera crimine,
Te pectoris candor niualis,
Te placidæ ſtudium Mineruæ.
Heroum at ò quid bellipotentium,
Quid nunc togatorum inclyta ſtemmata,
Faſceſque bellacis ſuperbos
Quid ſobolis referam Camœna?
Tu non auorum lumine præuio
Auguſtioris prodigus indiges,
At lucis in fontem reflectis
Gurgite nobiliore lumen;
Tu namque Phœbi ſydereis aquis
Diues coruſcas, creſcit honor choro
Per te ſororum, qui parentis
Primus amor, decus atq; Phœbi es:
Docto laceſſens pectine dædalas
Fides, vel ipſo blandiùs Orpheo
Audita ſyluis, & cateruæ.
Carmina pennigeræ maritas.
Iam cerno quercus vertice inhoſpiti
Montis relicto currere præpetes,

Sectantur auritæ ſonorem
Ambroſium cytharæ canentis;
Iam cerno lymphis nobile vitreis
Flumen, quieto quod pede labitur,
Vrbiſque moles lambit aſtris
Floriferæ ſuperis minantes.
Illud ſtupentes carminis arbitri
Vndas coercet non ſine montium
Stupore, non gelu reuinctum,
Carminis at domini catenis;
Tu ſpargis oras nomen in vltimas,
Inhoſpitalem nomine Caucaſum
Attingis, & quæ terra Solem
Excipit in gremio cadentem.
Naſcentis & quæ lumen, & aureos
Crines, puellas excipit & faces,
Et quæ niuali preſſa mole
Horribili riget vſque bruma.
Virtus Poetæ finibus ilicet,
Qui tangit alto ſydera vertice,
Nullis coercetur, ſed omnes
Peruolat imperioſa terras.
Hac vecta curru ſtelligero potens,
Quem fulgurantes alipedes vehunt,
Auriga quem ducit ſupernus
Luce comas radiatus alta.
Quem ſemper ambit gloria candido
Præpes volatu, & Fama ſequacibus
Aurita pennis, ac trilinguis
Luminibus ſequitur trecentis:

Cur-

Curru hoc phalanges ſydereas ſupèr,
Soliſque currum luciferum ſupèr
Virtus triumphantem coronans
Te vehet æthereas in arces,
Vbi ſupremi regia Numinis
Auro coruſcat fulgida ſyderum,
Interque diuinos olores
Luce noua nitidum reponet.
Olli beatorum ambroſia ſatur,
Ex ore voluens nectareum melos,
Et blandiùs chordas laceßens
Grande canes olor vſque Numen.

Sylua ad fidicinen.

AGe vocalem tange chelyn,
Erudita manus,
Ac neruos anima digitis loquaces:
Viden, vt leui ſuſurro
Quatit arborum cacumen
Veris aura blandientis,
Genialis aura Zephyri,
Dociliſque ſonum reddere frondes
Auribus gratum ſitientibus
Multiplicato percutit ictu,
Ictu blandiloquo ſoni magiſtro,
Scilicet aureo
Aemula plectro
Aura eſt nemoris
Aurea rectrix.

Syluam ad fidicinen multis àb hinc annis protuli ingenio indulgens pubeſcenti, deinde vidi amara cum voluptate argumentum penè idem à Marino in Poemate maximè culpato, defenſoq; atque laudato, & à Bettino in Rubeno, quorum laudo, atq; ſuſpicio ingenia, ingenioſè, ac ſplendidè tractatum. Id prætèr alias rationes, & hortamenta lite.

En

En volucris syluæ Syren, ac Musa paternæ
Viridante fronde tecta
Canit arguto gutture dulces
Imitata fides.
Age, ò fidicen, cedere turpe est,
Vincere blandam molliter æmulam
Volucrem decet,
Certare bello par & amabili,
At naturam vincere par est
Arte magistra.
Age docta bellicoso
Pectine fila cie,
Multiuago ferias vocales pollice chordas,
Nunc quate graues,
Nunc pulsa acutas,
Et modo raucas adde sonoris.
Audin? auditos Philomela reddit
Gutture docta modos,
Nunc leui murmurillo
Sonat interior,
Nunc grandiori voce superbiens
Plenius intonat,
Turbinat vocem leuis, explicatque,
Clarat, infuscat, relegit, coercet
Nescia cedere, nescia vincere;
Ergo dum pugna ambigua,
Dum fluctuat victoria,
Tu vires artis repetas fœlicior omnes,
Victor eris,
Scilicet ars fœlix naturam vincit alumnam.

Ad

literatorum me impulit ad editionem meorum o. perum maturandam: cum in illis, alijsq; Scriptoribus sententias, & argumenta quædam legerim, vel eadem, vel similia ijs, quæ anteà scripseram.

Ad P. Thomam Antonellum olim meum pręceptorem Rhetoricę.

In aula Cameratæ villę ſubiratns herois ciuilis delineaui ſimulacrum heroico exprimendum Poemate, cui titulus Politus, ſiuè Reſp. ſeruata, cui inchoato actum eſt præclarè, dum (vti narro in Epigram. ad P. Vinc. Guiniſium nunc à ſecretis Societatis Ieſu) *Meus eſt liber caſu Politus*: addidi *Pallade nim. præſ. tutus eat*, nam finxi Palladem Sapientię numen, quæ ſignificat, vel adumbrat Verbum diuinum Patris Sapientiam, ſapiētis Herois pręſidem, atq; patronam, vt Aeneæ Venerem.

Dum caput auguſta quaßabam iratus in aula,
Argumentum ingens naſcitur in capite,
Scilicet Herois ſimulacrum mente loquaci
Compono, membra & non peritura ligo.
Fortunatam iram miror, furor ira beatus
Ardenti Vati grande poema parit,
Sic vtinam furerem ſemper, furor alter Apollo
Scilicet, ira recens Muſa ſecundet opus.

In Medicum quendam Luſus.

Hostis es, an Medicus? quid vulnera vulnere curas?
Vulnera qui infligit, iudice me hostis erit.

Idem argumentum.

Nouum efficis cur vulnus, vt ſanes vetus?
Medicumque dicis eſſe, mendax? hoſtis es.

Ad P. Vincentium Guiniſium tunc Præceptorem Rethorices Romæ.

Decidua effuſo latè liquore lucerna
Inficit inuiſis plurima ſcripta notis,
Et

Et veterum non exæquanda Poemata Vatum,
E tabula in praeceps quæ cecidere vaga;
At meus est liber casu Politus ab omni;
Pallade nimirum præside tutus eat.

De N.

EST planis pedibus, nō carmina Comica scribit,
Attamen est verum dicere, Plautus hic est.

Dicebantur Plauti antea Ploti, qui planis pedibus erant, hinc Poeta Accius, Plotus primùm, deindè Plautus est appellatus.

D. Ludis omissis.

LVx aderat citior ludis deuota petitis.
Iam cupidos Cœlo Sol agitabat equos;
Hæc intèr Rector prænobilis expirauit
Vrbis, amor populi, sed breuis, ecce dolor:
En fugiunt ludi, iam compita nulla frequentat
Personatus homo, sed lacrymosus homo.
Nimirum cineres prohibent ludicra loquentes,
Quàm lingua valuit, est cui lingua cinis?

Hìc non cineres, quibus Christiana sparguntur capita, vt extinguatur ardor malesanus, qui Bacchanalibus diebus bacchātes pænè, ac lymphatos agit plurimos, indicat Epigramma; sed cineres extincti rectoris, ideòque subdit exclamans, & interrogans.

De ignobili superbo. Fictum nomen.

EST altus cubitum Batyllus vnum,
Magnus attamen ille vult videri,
Quid? magnum haud nego, frater hic Gigantum est.

Ad imperitum Aristarcum Extemporale.

VIs breue, vis longum carmen simul, hoc cape, constat
Longis, ac breuibus, carmen vtrumq; tenes.

Duo illi succedentia omittens attingam illud, quo narratur nobile facinus canis matris canem filium àb incesta Venere deterrentis; hoc mei visum ocalis corporis, alieni oculis animi spectandum fœliciter proposui, liceat enim de Epigrammate, quod mihi arridet, hoc aduerbio fœliciter vti.

De cane matre, & cane filio Cameratæ Gaddiæ custodibus.

ARida tempestas famulo regnabat in orbe,
Phæbique, amorisque æstuosa spiculis,
Dū geminus torret mortalia pectora feruor,
Petulans per arua dumque lasciuit pecus;
Et Veneri indulgens componit in arbore nidos
Dædala volucrum turba, syluarum chorus;
Ac domitum gratis agmen crudele ferarum
Telis amoris ardet arcana face:
Ecce canis nostræ custos lasciuior ædis,
Amore cæcus matris amplexus petit;
Illa sed incestum latratu terret, & horret,
Morsusque castis dentibus minans fugat.
I, nati coniux mala vincula solue, Iocasta;
Pudoris est magistra nunc tibi canis.

De Mure qui peredit particulam manusc. Vitæ Bartholomæi Valorij Senioris, cuius Elogium extat in opere hist.

Proximo Lusi de mure, quem minùs miror libri voracem, & cupidum literarum, cum ingenium videatur obtinuisse, amoremq; literarum literatorū ingeniosissimo patrono ad Orbis vtriusque regimen euecto. Hunc præfatione numeris Elegiacis concinnata veneratus sū.

O Dignam lacrymis, simulque risu
Rem, dirisque simul, facetijsque;
En mus innocuam vorat libelli
Chartam, quo senior viget Valorus,
Ille Signifer altus, & salubri
Libertate potens loquentis oris
Depictus calamo fidele; muris
Detester ne famem libri voracem,

An

An laudem potius famem legendi?
Nimirum cupit eſſe literatus,
Iccircò tabulas vorat legendas.

Prœfatio in Carmen de S.Pont.Vrbani VIII. recèns adepto Pòntificatu.

Vilia ſuſpenſi ducebant ocia nerui,
Orpheus argutum cum poſuiſſet ebur,
Et cupidum nullo mulceret carmine Cœlũ,
Et cupidos nulla voce bearet agros.
Squallebat miſer, heu, mundus mœrore tyranno
Muta eſſet victrix cum lyra triſtitiæ.
Manabant ſalſi paſtorum è lumine fontes,
Cum flueret nullo carminis imbre Deus.
Voluebãt querulas lacrymarum flumina lymphas;
Vrgebat miſeros flebile murmur agros:
Inuitæ ſtabant montano in vertice ſyluæ,
Vox nulla, auritæ quam ſequerentur, erat:
Et cytharam, vocemque ducem ipſa armenta ciebãt
In caſum querulis, vel gemebunda, ſonis.
At reticebat auis cantus reticente magiſtro,
Blandius ac Zephyri flamen, & aura parens.
Tunc ferus edomito Boreas ſtridebat in orbe
Iratos iaculans celſa per aſtra globos;
Et leo concordis violato fœdere pacis
Sternebat miſeros cæde recente boues:
At lupus in pecudes furiali dente minores
Explebat rabiem vilior, atque famem.
Ferrea crudeles voluebant ſæcula Parcæ,

Vrgebatque homines ferrea condicio.
Tantam orbis cladem Tyrinthius orbe subacto
Commiserans Orbi gaudia restituit:
Orphæos ciuit neruos, atque ora resoluit,
Ora triumphantem voce secuta ducem.
Nam vates animans vocales pollice neruos
Stemmata victoris nobiliora canit:
Vt puer in cunis dextra victrice chelydros
Strauerit eludens irrita monstra Deæ;
Vtque Gigantæas maior superauerit iras,
Cum valida premeret corda superba manu;
Vt genitum Oceano doctum variare figuram
Tergeminam triplici vicerit arte Deum;
Atque Ixionidas nubis portenta biformes,
Et Cacum, flamma qui pereunte cadit.
Vt victor toties nascentia fregerit Hydræ
Cornua, munitus viribus, igne ferox:
Mortis & indocilem non vna morte peremit,
Totque renascenti èx hoste trophæa tulit;
Vtque cruentus equis humano sanguine pastis
Præbuerit crudi membra recisa Ducis.
Vt, quem perdomuit, victor gerat arma Leonis;
Cui noua Iuno hostis scilicet arma parat.
Vt Phlegetontææ debellans monstra paludis
Vicerit inferni lurida regna Iouis;
Celsa catenatum traheret dum victor in arua,
Qui triplici latrans Cerberus ore tonat.
Arbiter vt gemini fortunatissimus Orbis
Ille polos humeris rexerit impositos;
Stelligerosque orbes, Solemque, Deûmque cohortes,

Dum fremeret rabie, victa nouerca metu.
Ast ego, longè impar quamuis, Rhodopæius alter
Assuetus digitis increpuisse fides;
Dum superus nostrum Leo flammifer ore Leonem
Vrebat, miseros hostis & æstus agros;
Nulla soporatis sociabam carmina neruis,
Addebam tacitæ carmina nulla lyræ.
Carminis ah tenuem venam ferus hauserat æstus,
Aestus non Phœbi, Solis at ille fuit.
Ampliùs haud gressu fœlici prata terebam
Florea, Castalio prata dicata choro;
Sed vagus ignotis Sophiæ iactabar in vndis;
Doctrina heu quanto turbine nostra labat:
Errabamque inter Logicæ spineta, ferarum,
Monstrorumque domus scilicet illa fuit:
Hæc regnatrici prostrauit mente Deo par,
Qui Deus in terris subdita cuncta regit.
Vt necat exoriens telluris monstra tenebras
Phœbus luciferis conspiciendus equis;
Sic tu Christiadum Sol fœlicissimus Orbis
Exortu superas quæque inimica tuo;
Vatibus atque animum præsenti numine reddis,
Et corda in vitam semisepulta cies:
Exhilarata tuo senserunt nomine numen;
O lauum Musis Numen, & ingeniis.
Nempe decet famulum fœlicior Hercule mundum
Qui regit, occidua hæc carmina & ipse regat.

Pro nostro Leone Florentiæ insigne Florētiam Vrbem intelligas.

Rectè distinguitur hìc Phœbi, scilicèt Poetarum Numinis ęstus, qui poeticam venam alit, ab æstu Solis, qui æstiuo tempore sæuiens exhaurit venas, & aquarum, & carminum.

Explicatur authoris tūc philosophiæ tyronis fluctuatio intèr ambiguam opinionum varietatem, quæ plerumque incertæ, nullisq; demonstrationibus firmatæ agitant ingenia dubia, & fluctuantia.

De

De fœmina quadam.

PEnelopen ſileas, ò Græcia vana, pudore
Nam poſt ſe linquit Florida Penelopen.

Antiquus ethnicus robore corporis conſpicuus loquitur.

NOn ſum pellice natus è Tonantis,
Clauam non habeo necis parentem,
Non anguem geminum manu tenella
Eliſi puer horridus ferarum
Victor, non domui truces Gigantas
Montes montibus impiè aggerantes;
Per me non cecidit ferens ſuperbum
Victori ſpolium Leo futurus
Inter ſydera ſydus æſtuoſum;
Non aper timor Arcadum reuinctus;
Non, quæ cornua parturit rebelli
Hydra fronte virens, necem perennem
Paſſa eſt, indocilis perire quondam;
Non Cacus pereunte victus igne;
Non paſtos miſerorum equos cruore
Paui ſanguine Tracij tyranni;
Non Stymphalidas alites ſagittis
Fixi; non Pharij ducem Canopi
Crudelem domui hoſpitum Charybdim;
Non taurus domitus furore præceps,
Qui Dictæa ferox premebat arua;
Non fregi æripedis potens volanti

Curſu

Intellige probro, quo in ſenſu legitur Ouid. Epiſt. 11. *Noſtrum vulgat clamore pudorem*; Neque videatur indecora collatio impudicæ fæminæ cum Penelope, cum hæc Homero Ferrarienſi fuerit meretrix.

In ſuccedente Hendecaſyllabo *Hercules puer*. Nota eſt hiſtoria, ſiuè potiùs fabula, cum videatur mihi ridicula, & impoſſibilis, quæ tradit Herculem adhùc puerum, ſed corporis robore pręſtantem Theſpitij filias numero quinquaginta vnica nocte compreſſiſſe, totidemq; liberos ſuſcepiſſe Theſpiadas appellatos. Iure igitur additur *O tenete riſum*, quia riſum excitat, & hiſtoria fabuloſa Herculis, & argumentum huius proſopopęię in iocum fictæ, quæ tamen ſeriò, & ſplendidè labores Herculeos attolit.

Curſu cornua perbeata ceruæ;
Non mala Heſperidum dracone cæſo
Suſtuli precioſa raptor auri;
Non greges ducis abſtuli triformis;
Non Amazonio potitus arcu
Inferni Iouis arua victor altus
Luſtraui ſtygio ſtupente cœtu;
Non, qui tergemino tonabat ore
Cuſtos Cerberus inquietus orci,
Meas pertulit impotens catenas;
Nec ſolum vetitum, polumque vidit
Me ductore flens micante corde.
Non ceruice tuli potente Cælum
Athlantis vice languens: haud peregi
Admiranda alia, Hercules tamen ſum,
Hercules puer, ò tenete riſum.

Deſcriptio Horti Allegorica.

Fons micat in medio læti pulcherrimus horti,
Qui, dum multifidus erranti gurgite ludit,
Spumea ſaxa inter fluit, inter amœna vireta,
Florenteſque vago fuſus beat agmine gemmas;
Hæ tollunt animos fœlices rore marito,
Agricola Zephiro: patrijs nutricius alis
Ille volat; Veris genitor, placidiſsimus orbis
Arbiter, aſsiduique innutrit Veris honores;
Hìc roſa purpureas tollit de ceſpite pompas,
Hìc & virgineis niuibus velata renident
Lilia,

Explicatio allegorica. Deſcribitur Hortus in medio ædis media in Vrbe à Polito Principe adornatæ. Aedes ſignificat principem bonum, quem Politus ornare dicitur, dum ſe principem iuſtum format. Eſt in medio Vrbis, quia princeps reſidere, ac regnare debet in medio Ciuitatis òb multa nomina, tùm quod medium ſit honeſtior, ac tutior locus, tùm ne videatur parti deditus in alterutrã pendere, cum ob facilius opẽ, vireſq; ſuggerendas cunctis, vti cor in medio collocatur animantis, vt ſanguinem, caloremq; membris impertiatur, debet eſſe princeps per ædem re-

regiam significatus in medio, scilicèt corde Ciuitatis, cum amatus òb virtutem, ac merita in omnium cordibus sculptus amoris cælo spiritum ducat, minimè periturum, cor ipse Ciuitatis.

Hortus verò in medio Aedis est cor principis.

Fons, qui perpetuùm irrigat, alitq; flores, herbasque est vena bonorum è principe emicans: Flores sunt virtutes, herbæ verò artes, quibus pollere debet princeps, quivti. Vt omnes hærbæ salubres hìc esse dicuntur remotis perniciosis, quia nimirum princeps tãtùm salubres exercere debet artes Tyrannorum iniquitatem, atque sæuitiam exosus, qui malis artibus malè partum imperium tueti conantur, irritò sæpe conatu, dum bonos, atq; præstantes Ciues veneno, dapibusq; feralibus occidunt. Scilicèt herbarum illud venenum occiduis Ciuibus propinatum in Tyranni exitium spumat huius cruorem inficere tentans.

Pro Rosa intelligatur Charitas, quæ dicitur explicans *pompas purpureas* eo quod sit regina virtutum, vel sumatur Theologica, vel ciuilis, quæ patriam, parentes, filios, regnum complectitur.

Lilia virgineis niuibus velata significant candorem niualem puræ mentis, & corporis honesti.

Prælonga Papauera designat lõgam animi quietem, quę dulcè ad soporè inuitat à similitudine aliqua

Lilia, dum violæ dulci ferrugine vernant,
Dum tenero surgunt prælonga papauera collo,
Chaltaque natiuo radiat spectabilis auro.
Pubescunt virides inter florentia gemmæ
Sydera, nempe hærbæ, non quas legisse nouerca
Priuigno gaudet læthalis, at omne venenum
Omne necens gramen procùl exulat; hærba salubris
Tantùm, at multa viget: vix tot cognouit Apollo
Ipse repertor opis medicæ, quot gramina pubent,
Plena salutari fælicia gramina succo:
Pectoris id reparat vires, at lumina clarat
Illud, cum reficit visum, hoc est vtile cordi,
Hoc humeris, laterique simul; iuuat ora, manusque
Illud, belligeris aliud fero vulnera sanat;
Leniturque alio capitis dolor.
Protrahit hoc vitam, longosque extendit in annos;
Mille iuuandi herbæ sunt hìc, & nomina mille,
Scilicet inuitæ deducunt stamina Parcæ,
Tertia dum ferro parcit, cupidasque coacta est
Mors hærbis cohibere manus, viduata trophæis.
Surgit in arcano pubescens sylua recessu
Libera fulminibus, Soli penetrabilis vni;
Hanc timet æstiuis torquere Canicula flammis,
Parcit & igniuomo latrare hanc Syrius ore:
Verna ibi temperies, nimio nec vincitur æstu,
Nec rigidæ patitur viduantia frigora brumæ.
Explicat hìc ramis latè spaciantibus vmbram
Perpetuùm frondens, magno dilecta Tonanti
Quercus, &, herculeos quæ cingit honora capillos,
Populus: ac hedera quæ nectitur vlmus amanti.

In

qua proprietatis papaueri soporiferi.

Agricola Zephyro, hic est Spiritus diuinus, qui principis virtutes, bonasq; artes nutrit, ac protegit *patrijs alis*, scilicèt amore, & prouidentia paterna, quibus Deus pater principem iustum, veluti filium complectitur; hinc in sacris monumentis, *Sub vmbra alarum tuarum protege nos*.

Dicitur veris genitor, quia præcipuè sator, & seruator veris, nimirum temporis floridi, ac beati, est Spiritus diuinus *Orbis arbiter placidissimus, assiduique innutrit veris honores*, quippè qui alit, seruatq; perpetuum ver virtutum, bonarumq; artium in principe optimo continentèr vernantium. Sylua pubescens perpetuùm frondens in arcano recessu surgit vmbrosa, hac designatur prudétia architectonica, quæ in principe perpetua debet virere, & multiplex, quia diuiditur in multa, variaq; consilia; est vmbrosa, latetq; in penetrale cordis, quia non debet à plebeis, imperitis, hostibus penetrari, & horrorem quendam, ac reuerentiam apud populum sibi conciliat ipsa obscuritate: Non omnibus euulganda sunt arcana.

Dicitur *paterè Soli* duplici allegoria, si enim intelligatur sol pro Deo O.M. significabitur præuiam esse prudentiæ diuinam lucem, quæ dirigat, & illustret consilia, & operationes principis, vt enim sol visibilis, oculus est Mundi huius, ità Sol inuisibilis, est oculus Mundi melioris, videlicet optimi principis, & sicut oculus corporis dux, sic Deus prudentiæ famulanti dux, à quo debet omne consilium emanare, in quem refundi.

Potest alitèr intelligi Sol pro amore honesti, & boni publici non longè diuerso sensu.

In Laudem Gabrielis Chiabreræ Poetæ. clarissimi.

Vt blanda ridet nescia flebilis
Fati Poesis, prodiga luminis,
Proh qualis augusto refulget
Irradiata genas nitore!
Proh digna regnis, ac diademate
Stellante gemmis versicoloribus
Virago, docti nata patris,
Præsidis Aonidum cohortis!
In fronte regnum gratia collocat,
Vincunt ocelli sydereas faces,
Et labra florem purpurantem
Numinis Idalij cruore.
Florescit ostro blanda plicabili
Ceruix comarum, textile quam bene
Distinguit aurum, quod catenas
Nectit amãtibus inuidẽdas.

Post descriptam poeticè Poesim scribuntur hæc verba *Recenti tempora Pindaro*.

Chiabreram non temerè à me fuisse recentem Pindarum appellatũ existimabit quisquis legerit (hìc omittenda sunt alia Poemata) Cantiones non paucę Chiarebrę, qui Pindarũ super auras aura spiritus insuperabilis euectũ sectatur alati carminis altitudine, maiestate sententiarum, digressionum vbertate. Inter illas excellere mihi videntur geminæ Astorgium Baleoniũ, & Latinum Vrsinum, nobile par bellatorum lacrymantes, & quatuor, quib⁹ totidem Heroes Io. Iacobus Triuultius, Alphonsus I. Estensis, Ioannes Medices, Franciscus M. Roboreus celebrantur.

Tamèn adeò sublimis Poeta virtutibus cognata vitia non euitauit, scilicèt styli aliquandò elatioris tumorem; frequentissimã inuo-

innuocationem,&appellationem Phœbi, Muſarum, lyrę, aut cytharę, quę vocabula plurimis in cantionibus vſurpat àd ſatietatem legentis.

Nimis progreditur in egrediendo Chiabrera, qui aliquandò caput reliquo corpore longius cõponit, ac minùs agit, de quibus agit, nimius in priſcis Heroibus, & Fabulis. Teſtes nunc appello Cãtiones de Franciſco Gonzaga Mantuæ Marchione, deque Ducibus Henrico Dandulo Venetiarũ, & Vrbini Roboreo ſuprà laudato. Hic cum nepote Franciſco II. Duce literatorum, ac literarum patrono glorioſiſſimo, duobuſq; Pontif. MM. Iul. II. & Sixto IV. veterem patriam Sauonam (hæc *clara Regni terra Liguſtici* iure appellatur in Ode) illuſtrauit Chriſtophoro Columbo admirabili Heroe precellentem, quem extulit Elogio ampliſſimo Iouius, & Chiabrera ſublimi cantiuncula.

Intexta gemmis, ebria murice,
Ludentis auræ flamine molliter
Pulſata ludit virginales
Palla modò fluitãs per artus:
Flores amœni germina temporis
Innectit ardens dextera lilijs
Roſaſque, narciſſoſq; miſcens,
Floriferas opifex corollas
Edocta pridem texere, ſcilicet
Vt læta vernis ſyderibus comas
Depingat auguſtæ nitorem
Frontis innocciduum coronans.
Fallor; recenti tempora Pindaro,
Quem clara regni terra Liguſtici
In lucis auras fudit altrix,
Impediet merita corona.
Iò triumphe, ò dicite candida
Vatum caterua, & flebilibus modis
In æquor Eoum fugatis
Inſolitum canite ò triumphum:
Longè at prohani, ſacrilega Deum
Qui voce carpunt, quique nocentibus
Modis iuuentæ non pudicæ
Ingeminant cyprium calorem.
Adeſte Muſæ, virginea ò cohors,
Roriſque puri fundite gurgitem,
Veſtrique alumni fronde ſacra
Emeritum decorate culmen:
Ac tu canori verticis arbiter
Hùc verte præſens ambroſium caput,

Fe-

Festamque vestem sume crines
Daphnide virginea reuinctus:
Hùc fer canentem nobilius lyram,
Plectrumque eburnum pulcher amabili
Fulgore præstans, & leporum
Agmina duc generosa tecum:
Qualis Gigantas cum domuit feros
Inuicta summi filia Numinis,
Armata telo præferoci
Anguiferos populauit artus,
Victaque pollens Gorgone montium
In ora vertit saxea montibus
Pares Gigantas fulminatis,
Pectore se valido ferentes;
Victoriali carmine Pallada
Neruos loquentes celsius increpans,
Et laudis ornasti corona
Virgineos recinens triùmphos;
Sic ò triumphum Vatis amabilem
Plaudentis agros tolle per ætheris,
Ac dexter ingenti triumphum
Voce canas, & iò triumphe:
Iam cerne famæ non pereuntibus
Euectus alis tollitur arduùm,
Terras iacentes ac perosus
Sydereos repetit penates.
Viden? bisulco panditur æthere
Ignota priscis semita Vatibus,
Candore præfulgens niuali,
Atque nouis decorata gemmis.

De cane lusitante folle ventoso Florentiæ Anno 1626. in platæa S. Crucis.

CErne, theatrali canis ambitiosus in orbe,
Tympana dum reboant, ludicra bella gerit.
Aemulus atque viris generosi pectoris ausu
Ventoso ludit folle decoris amans;
Insequitur follem pernicior alite, dextram
Qui prædatricem non habet, ore capit,
Se miscet pugnæ, pubemque imitatur anhelam,
Si currit, currit, si manet illa, manet.
Ingenium docilis miror canis; hunc ne creauit
Natura in ludos ingeniosa Ducis?

De cane lusitante lusi, sed ludentem dicere verum Quis vetat?

De Ludouico XIII. verè Christianissimo Galliarum, ac Nauarriæ Rege ab Equite Marinio huius sæculi Principe Poeta celebrato.

At seriò scripsi de Ludouico XIII. scriptorum calamis dignissimo.

ERgo ne inornatum patiar te carmine nostro,
Marte satus Musas qui, Ludouice, foues?
Non id maiestas patitur tua, non tua virtus
Fusa per Eoas, occiduasque plagas;
Vtraque nempè volat pennis euecta canoris,
Ex alis famæ quas rapit altus honor.

Francisco Rondinellio.

Epistola succedit exosa silentium amici.

ERgo ne te cepit male nata obliuio nostri,
Vis animæ, vitæ vita, decusque meæ?

Ergo ne perpetuùm taciturnas ducere luces
Te iuuat, ò nostri non memor, alter ego?
Quando erit, vt carum sitienti lumine nomen;
Quæque valent hostes flectere, verba bibam?
Rumpere iàm tempus, minùs æqua silentia rumpat
Index fraternæ littera amicitiæ.
Est cui lingua triplex, qui voce, & corde, manuque
Eloquitur, verbis gaudet honestus Amor,
Verbaque si desint, hic signa loquacia dextræ,
Nutrimenta sui candida nempè cupit;
Scilicet ille loquax, atque artes natus ad omnes
Eloquio socios nobiliore beat;
Testis, ab exortu qui cassus voce Nerettus
Verbosa valuit fingere quæque manu;
Complexus digitis orbem vocalibus altus
Expressit rerum tot simulacra faber.
Exprimo & ipse tui simulacrum mente loquaci,
Idque memor semper lingua secunda refert,
Cythia seu famulo, seu Phæbus in æthere regnet,
Francisci nomen nocte, dieque sonat.
Ipsi te muri, tectumque, librique salutant,
Per me tu volitas docta per ora virûm.
Conuiua & Medico, dum Bacchi munere fundor,
Opto tibi niueos ore bibente dies:
Hæc amor edocuit cordis regnator, ad icti
Fœderis immemorem scribere iussit amor:
Nil magis infensum, quàm mutũ pectus, amori est,
Si me candidè amas, scribe loquente manu.

De fure, qui aureis catenis raptis velocissimè fugit.

Amicum, qui est aureus cordis fur, insequitur fur aureæ catenæ, de quo luditur duplici sensu verbi *euolauit*.

VIden? euolat euolans catenas
Aureas vafer hic manu rapaci:
O faxit Deus, his miser ligetur
(Fiant ferrea vincula hæ) catenis,
Ut, qui nunc duplici modo euolauit,
Possit amplius euolare nullo.

De misero lasciui amantis obitu semifictum argumentum.

PRædo pudicitiæ cupido dum lumine sorbet
Pupam sub viridi frondis honore latens,
Ac teneras vellit digitis errantibus hærbas,
Hunc mala læthiferis inficit hærba comis,
Atque venenato venas complexa liquore
Non expectatam fert truculenta necem:
Virginei floris vindex est, virus, amantes,
Mel dum vos miseri cernitis, heu bibitis.

In Obitum Marini Poetæ præclarissimi. Sylua.

De Marino extincto effusa est lacrymosa Sylua, quæ potest appellari Threnus, vel Nelinus, siuè Elinos, si consulamus Gyraldum de poet. hist. Dial. 1.

Inclyta Parthenope. Huius

ITe, ite flebiles
Sine lege versus:
Scilicet exlex dolor insanus
Omnia legum vincula rupit,
Cum Parca vitæ stamina ruperit

Vatis amabilis,
Vatis heu lacrymabilis,
Flebili heu Musis cecidit Marinus
Funere maximus;
Ille illè flos leporum,
Ille ille flos decorum,
Ager ille gloriarum,
Illud grande Gratiarum,
Quod iniqua nimis
Mors exhausit sitibunda mare.
Ite, ite flebiles
Sine lege versus:
Dextera lacrymas ede loquentes,
Oculi tacitos fundite versus,
Eheu, eheu, eheu, eheu,
Velle crines, scinde vestes,
O prænobilis arbitra regni,
Inclyta Parthenope,
Viuax Hesperiæ parentis astrum,
Fulgens orbis ocelle blandientis,
Fax Vrbium Sororum,
Viuo fœlix, rapto infœlix
Ipsa Marino.
Magis infœlix, quò mage fœlix,
Effunde heu totas lacrymis habenas,
Scilicet illud
Mare gratiarum
Mare lacrymarum
Par ciet, vndas,
O Sebethe, gementi

Fle-

ius laudes præcipuas attigi Oratorio Elogio Ferr. Caraphæ, atque Monostico historico inter Vrbes Italiæ Illustres, cui consentit Episc. Campanus lib. 5. hist. Brachij, vbi hæc habet: *Nec Ciuitas est toto terrarum orbe: quæ tantam hoc tempore nobilitatis, & magnificentiæ habeat opinionem, &c.*

Syn eri vatis. Fuit hic Iacobus Sanazar. Equestris, siuè Militaris Ord. Neapolitani Poeta excellens, & illustris, quem elegantissimo celebrauit Elogio Iouius: celebrauit, & censor seuerus æquè, ac ingeniosus I. C. Scaliger cap. 2. lib. 6. poetices his verbis: *Etenim si vnum modò Virgilium excipias (hic enim non solum humana superauit ingenia, verũ etiam sese quasi parem extulit naturæ) Palingenium, Aonium, Politianũ, Cerratum, Vidam, Pontanũ, Sanazar. Fracastor. habes, quos cum cuiuis veterum cõpares; multis, sed non ignobilibus anteponas.*

Hunc tamen, sicut alios supra laudatos Poetas, in multis damnat, cuius iucium, siuè censuram ferè cõfirmo; excipias tamen castigationem, ac mutationem versuum, *Excubat in somnis, &c.* licèt demi fortè posset *Horrendum stimulante fame sub nocte profunda*, vel excelsus versus, dum fabulosè de Cerbero agit more Poetarum, quem ego omisissem, vti alias fabulas Ethnicorũ, quas intemperanter adhibet in sacro Poematio, sanè præcellenti parùm memor decori, ac verisi-

mi-

milis; In hæc peccat dum, vel ignorata, vel potiùs neglecta breuitate, quæ summa summæ Maiestati conuenit, Regem supremum Orbis alloquentem refert lib. 1 *Est Vrbes phœnicum intèr, latèque fluentem Iordanem, regio nostris sat cognita sacris, Iudeam appellant, armisque, & lege potentem, &c.* Nã Gabrieli erat cognita Iudæa Deo dilecta vnicè, diuinisque cumulata beneficijs, quę minimè latebant Mentem adeò sublimem, atq; perfectam, ideòque superuacaneus videtur versus. *Nunc animum hùc aduerte, atque hæc sub pectore serua,* & etiam *Nubiuagos molire per aera gressus.*

Incidit forsitan in eundem scopulum longitudinis luxuriantis Eloquij, dum idem rerum omnium pater Verbi nascẽtis Pręsepe describit mentibus Beatis (velut hæ rudes, ignarę q; non perfectę, ac maximę intellectionis essent) quibus indicare illud sufficiebat.

„ *Ac primum duris parui sub cautibus antri*
„ *Gramineos lustra te thoros, lustrate beatam*
„ *Pauperibus sedem calamis, cunctiq; recentes*
„ *Summissi cunas accedite.*

Præteritis, quæ carpit Scaliger in limatissimo poemate, attingam quædam in alijs carminibus mihi non probata, non vt detraham poetæ adeò excellenti, atq; pręclaro, sed vt euitem notam, quę mihi àb aliquo inuri facilè posset, eò quod Marinũ, cui plurima objiciuntur (non

Flebiles ministra,
Tuque, ò Synceri carmine Vatis
Inclyta Mergilline,
Volue lacrymantes aquas,
Syncerum illacryma recentem,
Actius alter est Marinus;
Tuque Nympharum docilis caterua,
Quæ natales colitis fontes
Parthenopæi regni,
Quæque montes, quæque riuos,
Quæque Syluas, quæque prata
Syderibus redimita vernis,
Ite in lacrymas, ite perennes,
Fundite salsos, fundite riuos,
Eheu, eheu, eheu, eheu
Victus iniqui turbine læthi
(Flebile fatum) cecidit vestri
Flos ille campi,
Decor ille montium,
Gloria nemorum,
Fontium voluptas,
Fluminum venustas,
Iris amænæ gratior oræ;
Spargite frondes, spargite flores,
Fundite lymphas, fundite rores
Super auritum Vatis tumulum,
Vester vt virescat flos,
Vt vestra lux refulgeat,
Quam tenebrarum lurida mater
Extinxit, vestri ah luminis inuida,

Inuida

Inuida gloriæ mors.
Ite, ite flebiles
Sine lege versus;
Ite perennes
Sine lege luctus.
Gratia crines scissa decoros
Emerito patrem funere prosequere;
At sine mundo;
Mors ornatum despicit omnem,
Non decet mortem nisi mortis umbra
Nullis picta nitoribus;
Nullis fusa coloribus.
Ite, ite flebiles
Sine lege versus,
Ite perennes
Sine lege luctus;
Oculi mutos voluite versus,
Scribe loquaces dextera luctus,
Eheu, eheu, eheu, eheu.

De supra scripta Sylua.

QVæ nat per mare grande lacrymarum
Deflens funera maximi Marini
Quouis iudice lacrymosa sylua est;
Quæ nat per mare dulce gratiarum,
Quod in pectore claruit Marini,
Quouis iudice gratiosa sylua est.

(non pauca huic meritò possunt obijci, vt alibi significaui, at mea hìc tantum sententia indicetur, In Italorum Poetarũ nemine plura laudanda, pluraq; damnanda simùl offendes) similem, imò eundẽ cũ Sanazario fecerim poeta multorum opinione limatissimo, atq; perfecto scribens. *Actius alter est Marinus.* Sanazarius igitur (vt omittam Epigrammata in Alexandrũ, & Adrianum 6. & in Leonem Põtifices Maximos, quæ pietati, ac Religioni Catholicæ consulens poterat omittere, cum historicè non scriberet) in lyricis carminib⁹ habet nęuos, & maculas quasdam.

Primus versus Hymni ad D. Nazarium.

Nazari heu quis me tibi ad hanc supremi, & sequentes, *Debet, & hæc lux, Dum fuit hæc sors*, pulchritudinẽ huius Hymni cęterà elegantis, & nobilis inficiũt.

In Hymno *Audiat surgẽs pariter, cadensq; Sol tuas laudes, &c.* audies versus aliquot cadentes, vilesque tã sublimi vate indignos.

Formosa Ode ad Mergellinam Villam deformõ versum non amat, *Nam simul te, te repeto, tuasq;* vbi non sine risu explodas te, te, to, tu cõiũctas syllabas.

Nobilis Hymnus ad D. Nazarium.

Diue, cui vasti metuẽda, &c. respuit hanc Strophem

„ *Nos tibi hac grata scopulorum in vmbra.*
„ *Ritè paruis ædiculam columnis*
„ *Ponimus, nos perpetuis sacramus.*

 De Pri-

Primum versum perficeres, si dempto monosyllabo *Nos* præponeres *hac tibi,&c.* alterum sic emendarem, licèt mihi parum arrideat hæc emendatio, *Paruulam puro fabricamus ædem Marmore, ac fontis tibi sacra plaudat, Vnda susurro,* vel *Murmure lympha.*

In Hendecasyllabo àd Ninam *Sexcentos Nina,&c.* sanè candido,& eleganti expetens delicias Veneris nimis procaci elocutione lasciuit instar Catulli, quem improbè petulantem imitatur fælicitèr infælix. Huius tamen Epigrammata ferè omnia culta simul, & arguta præconio celebrarem non vulgari, quod Eclogæ piscatoriæ (harum inuentor ipse Sanazarius) & Elegiæ complures promerentur.

De Thaide flumine obruta.

ORbis prodigium infælix, & Scylla pudoris
Fluminis vndantes perfida findit aquas.
Numinis hanc vindex flumen premit, impia cuius.
Mens ruit ignitas ad Phlegetontis aquas.
O lepidum fatum, petit illa è flumine flumen,
In quam coniurant ignis, & vnda simul.

De eadem.

DVm nat flumineas meretrix infausta per vndas,
Arcana scelerum mole grauata perit.
Obruit hanc fluuius, quã torquet in æquora, tantum
Scilicet indignans sustinuisse nefas.

De Cæsare milite muliebri, & gloriabundo Fictum argumentum.

VAne quid illustri tu nomine Cæsaris alti
Turges, quid tumidus Cæsaris acta canis?
Tu qui fæmineo mollitus pectora luxu

Im-

Imbelles indo nectis honore manus,
Sanguine quas hostili, & honesto puluere belli
Aspersisse decet, Cæsaris vmbra leuis,
Cæsariemque super liquidos diffundis odores?
Non es tu Cæsar, Cæsariatus at es.

De Carolo Strozza, Ioanne de Garbo, Michaeleangelo Bonarota, Petroantonio Guadagnio, & Francisco Segalonio Florentinarum antiquitatum indagatoribus solertissimis, ac peritissimis.

PRisci temporis agmen ò peritum,
Facta quod patriæ vetustiora,
Stirpium seriemque, originesque
Rimaris, memorique mente seruas,
Qua te laude feram? tuum modestus
Breui carmine prædicabo nomen;
Dignum viuere scilicet tot annos,
Quot in mente geris, mihi videris.

Ad Serenissimum Principem Ioanaem Carolum Medicen.

O Qui dulce bibis de lumine lumen auito,
Fax noua sceptriferæ gentis, & vrbis amor,
Cuius in augusto regnat clementia vultu,
Et grauis ambrosio purpurat ore decor;
Quem Mars laurigeris cupit illustrare triumphis,

Hoc Epigrãma de Principe Io. Carolo in Sonectum vertit Etruscus Poeta miræ facilitatis, ac venę Bonauita Capezzalius Doctor.

Pallas & emerita nectere fronde parat.
Excipias hylari Vatis munuſcula fronte,
Non refugit magnus munera parua Deus.

Parafraſi del Sig. Dottore Bonauitta Capezzali.

OH Tu, che dolce attrai chiaro ſplẽdore
Dallo ſplendor de gli Aui, oh raggio altero
Del Sol, c'hà ſopra l'Arno illuſtre impero,
Delizia ſe della Città del Fiore.
Auguſto regna nel tuo volto Amore,
E ſe graue è'l parlar, non è ſeuero
Forma alla chioma tua lo Dio guerriero
De' più be' lauri vn ſempiterno onore:
E la Dea del Saper prepara intanto
Quella di verde Allor fronda, che merta
Del tuo ſaggio valor ſublime il vanto.
Il magnanimo ſguardo or ſi conuerta
A gradir di Parnaſo vmile il canto,
Che no ſdegna il gran Dio picciola offerta

Hic àb Alexãdro Adimario nobili poeta ob tot poematia edenda, & edita, nupèr Etruſca verſione nobilitatus, non explicationem, at ſaltationem Nympharum, & cãtum ſuauiſſimum videtur expoſcere, ſiquidem opus amœniorum Muſarũ muſicum concentum amat, vtinam antiqui Muſici viuerẽt ad hunc, & ad Chorum Deiparæ Virgini ſacrum verè muſicis modis efferendum.

De Vere redeunte Chorus Nympharum.

ITe Sorores, depicta micant
Vbi contento ſydere prata,
Vbi naſcentis florida Veris
Agmina rident, gramina pubent,
Munera vernant, lumina fulgent;
Ite Sorores;

Ite, maligni temporis horror
Zephyri blando flamine victus
Sua terga dedit dein rediturus,
Montibus altis cecidere niues,
Vestis colles hærbosa tegit;
Ite Sorores.
Flumina pigro resoluta gelu,
Duris tandem libera vinclis
Facili ducunt agmine lymphas,
Gurgitis almi vitreas Nymphas,
Quæ cognatas candore niues
Scilicet æquo iudice vincunt;
Ite Sorores.
Sylua comanti rediuiua viret
Nexa corona, licet inuito
Borea, flatu qui bellanti
Crinale decus populatus erat
Rigidus nemoris prædo comantis,
Cui modò Zephyrus reddit honorē;
Ite Sorores.
Ecce canentum turba volucrum
Nato gestit garrula Vere,
Nato ludit blandula Vere,
Melicisque modis musica pubes
Flamina mulcet, sydera lambit,
Ite Sorores.
Ecce virenti ludit in agro
Petulans hædus, nubilis agna,
Agmen equorum, syluæque greges,
Urit amanti scilicet igne

Cor-

Corda ferarum, corda virorum
Amor arcanus, regnatque Venus,
Ite Sorores.

Parafrasi del Sig. Aleſſadro Adimari.

ITE ſorelle,
Oue dipinto
Di cento ſtelle
Ride, e fiãmeggia in mille forme il prato:
Oue in floride ſchiere il ſuol diſtinto
Ride naſcente à Primauera allato:
Spuntan l'erbette, e nel bel frutto amato
Spargon fiammelle.
Ite ſorelle.
Ite, ch'a lunge
L'Inuerno è fuore,
Che mentre giunge
Zeffiro dolce, e co' ſuoi fiati il prende
Fugge, per tornar poi, l'algente orrore,
E dal monte ſouran la neue ſcende,
Veſteſi il colle, e nobil manto ſtende
D'erbe nouelle.
Ite ſorelle.
Diſciolto il fiume
Dal pigro gelo
Correr preſume
Rotte l'aſpre catene, egual col vento,
Perche dal ſen natìo col bianco velo
Traggon le Ninfe omai l'onde d'argento,
Che

Che delle neui intatte hanno contento
D'esser più belle
Ite sorelle.
Viua verdeggia
Selua chiomata,
E'l crin le ondeggia
Sotto ghirlande di smeraldi inteste,
Ancor che Borea la sua chioma ornata
Spogliassi già con l'orride tempeste,
Ladro del crin, che tinse alle foreste
Zeffiro Apelle
Ite sorelle.
Già sparge i canti
Turba loquace,
D'augei volanti,
Ch'alla nuoua Stagion riporta onore,
Ch'alla nuoua Stagion nunzia è di pace:
E con Inni di mel musico ardore
Molce dell'onde il gelido rigore,
Bacia le stelle
Ite sorelle.
Ecco più viui
Del campo altero
Scherzan lasciui
La nubil Agna, e'l marital capretto
E'l gregge delle selue, e'l bel Destriero;
Per ch'arde ascoso Amor col suo diletto
Dell'huomo il senno, e delle fere il petto;
Di Pafia ancelle
Ite sorelle.

Descriptio Euryali Virgiliani.

HVic tenera florens vernat lanugine vultus,
Perque humeros errant molles sine lege capilli,
Aureus hos fulgor pingit; quæ sydera vincunt,
Irradiant in fronte faces, & labra renident
Murice cognato; dentes, collumque pruinis.
Illius in vultu sedem posuere lepores,
Et Charitum iurata cohors, & Copia fandi
Aurea, mellito quæ flumine plurima currit.

Descriptio tempestatis.

CVm mare, cum ventis, cum fluctibus, atque procellis,
Cumque poli certat nauita syderibus.
Desuper horribili sordet caligine cælum,
Atque irata Iouis regia celsa tonat:
Impius at fluctus iaculatur in astra rebelles
Pontus, & ex imo gurgite sæuit aquis.
Terrificant Hyades, & crebra tonitrua mentem,
Fulgura, & in miseram fulmina torta necem.
Aspera luctantes committunt prælia venti,
Secum bella gerunt, bella gerunt ratibus.
Iàm dubius pugnæ, dubius iàm nauita vitæ
Fluctuat æquoreis fluctibus ipse magis.
Quid faciat, quibus armis se tueatur ab hoste
Multiplici, certet queis miser auxilijs?
Nempe Notis æquor fauet auxiliaribus vndis,

Fert

Fert ſocias Zephyro flamma trilinguis opes.
Nùm ventos ſibi non fidos ſibi fœdere iungat?
Fratribus ah non eſt, hoſti erit ergo fides?

Prò Nauigatione Franc. Cardinalis Barb. Vrbani VIII. à latere legati ad Reges Galliarum, & Hyſpaniarum pacificandos Votum.

EXit alite nauis alma fauſto,
Quæ trans Heſperiæ parentis oras
Ducit Heſperiæ in ſinus remotæ,
Galliæ propioris inque portus
Regem purpurei iubar Senatus,
Orbis propitium precantis aſtrum,
Florem floriferæ vrbis emicantem.
Illam tergemini ſecunda mundi
Rectrix Aura leui beet volatu,
Dio flamine amata vela complens,
Nec non Aligerûm vagæ phalanges
Impellant per amica regna ponti,
Hunc non biſtonio rigore pennas
Armatus Boreas, graui nec Auſter
Fœtus turbine miſceat procellis;
Pontus rideat ò tacente Cauro,
Et quocunque maris quieta turbat
Arua flamine fluctuum parente,
Vnus arbiter æquoris beati
Modò ſit Zephyrus, tamen ſupernæ
Auræ ſubditus huic curulis alas

Hoc eſt Propempticon quo Franc. Card. Barber. *Purpurei iubar Senatus, &c.* Vrb. à Latere Legatum ad Reges pacificandos optimis votis proſequutus fui.

Tergemini mundi, Duo verba diuerſas Allegorias continent, quibus dupliciter ſignificaui hominem Platonicè ſumptum.

Primo modo hominem incorporeũ, ſcilicèt animam, quæ Tergeminus Mundus appellari poteſt, ſi conſulamus Magnum Ficinum, qui Eneadis 6. c.8. lib.9. in Plotinum hęc habet.

In Anima verò vltrà centrum intellige vuitatẽ ſuã, *ſuum ſunt tres orbes Intellectus, Ratio, Imaginatio. Centrum quidem ſemper copulatum eſt cum Vniuerſi Centro* (intelligas cum Deo, qui eſt tanquam indiuiduum, & immobile Centrũ Vniuerſi) *Intellectualis Orbis perpetuò reuoluitur circa idẽ; Orbis autẽ rationalis, atq; imaginalis aliquando circa Centrum ſuum, atque Diuinum voluitur, aliquandò quaſi frangitur, & per obliquum declinat ad alia. Intereà dum ſimilem brutis vitam*

agimus ratione ad Deum non conuersi, intellectu saltèm clam reuoluimur circà Deum.

Altero modo significatus est homo vniuersus, qui ex sententia Platonicorum constat ex Mente, Corpore, & Spiritu quodam, qui est Medium, & vinculũ corporis,& mentis,vti testatur idem Ficinus,ex cuius operibus sanè doctissimis, & eloquẽtibus non pauca in libros de occulta Philosophia transtulit H.C. Agrippa, qui vanitate, ac superstitione intoleranda omnigenam infecit eruditionẽ virosa pocula malè sano intellectui propinans. Sed hunc execrati nominis scriptorem suo Cacodæmoni torquendum reijciamus,& de Ficino verè philosopho, atque Theologo quædam attingamus àb Iouio disertissimo,celebrique Scriptore imprudentèr omissa,dum in Elogio Ficini aliena quædam, & minimè necessaria tradit, máximèque verba hæc suprema Regi Galliarum indecora, vel iniuriosa.

Præbeat, quibus illa marmor æquum
Peruolet supera cohorte septa.
Audior: patet en bisulcus æther,
Manat obsequiosa turba Cælo,
Ac læuùm intonat axis imperator,
Orbem circuit orbe discolori
Iris, sanguineo haud rubens nitore,
Quo notat miseri cruoris imbres
Minans funera Regibus cometes;
Luce sed radians benigniori;
Signat scilicet Iris alma pacem,
Quam Regum feret arbiter potentum,
Pacis arbiter vnus, atque belli.

Et cum esset in Alpibus Ludouicus Rex Galliarum armatus irrumpens, vt singulas illustres domos, & ad vnum ferè omnes Italiæ principatus euerteret.

Omittit hos ingenij præcipuos liberos, nimirùm libros, quos Marsilius Marte suo scriptos edidit,octo suprà decem De Immortalitate animorum,immortale opus,atq; diuinum. De Religione Christiana,de Sole,de Lumine,de Voluptate. Conciones sacras,Epidemiarũ Antidotum.

Epistolarum libros 12. ditissima omnigenæ scientiæ, ac eruditionis supellectile refertos, in quibus Apologi nonnulli venustissimi,& eruditi.

Apologias, Orationes varias.

Phisiognomiam,aliaque Opuscula docta.

Hæc omnia longè maiorem (ni fallor) laudem promerentur,quàm versiones Græcorum àb Iouio celebratæ: in his enim Ficinus interpres vtitur ingenio alieno,in illis suo; vertere aliena famulantis est,formare sua videtur architectantis,aùt creantis ingenij.

Omitto argumenta,& Commentaria in diuinos Platonem;& Dionysium Areopagitam(hunc enim diuinum appellat Picus in maximi libelli de Ente,& vno cap.5.& nomen,& opera Dionysij diuina videntur) in D. Pauli gentium Doctoris Epistolas; in Mercurij ter maximi Pymandrum,& Asclepium: in 54. libros Plotini,opus,quod appellare licet, vel argumentum doctissimum, vel maximi succi,ac roboris compendium,quod vniuersam tàm sublimis, & acuti philosophi philosophiam complectitur.

Prætereo Porphyrium, qui proptèr excellentiam philosophus appellatur intèr platonicos; Proclum, Athenagoram, Alcinoum, Xenocratem,& Speusippum,quos è Greco transtulit. Transtulit,& adolescens àd verbum Argonautica; & Hymnos Orphei antiquum Cytharæ sonum, cantumque luci restituens,& Homeri,& Proculi, Theologiamq; Hesiodi. Commentariolos in Lucretium adhùc puer composuit,quos posteà (vti Plato Tragœdias,Elegiasque) Vulcano dedit,vt ipse testatur Epist.lib 11. cuius Lemma.

Opiniones non temerè diuulgandæ. item Orphei carmina. M. Ficinus Florent. Martino Vranio vnico. S.D.

PRO-

Prosopopæia Masottij Rodulphi Patritij Florentini, dē quo duas Odas composuit Bartholomæus del Bene Poeta, & Patritius Florentinus, quas Iacobo Pittio Senatori inscripsit: in altera de tranquillitate animi, vitaque rustica, sed nobili Masottij agit, celebratque Historiam Florentinam Iacobi; in altera describit tenue conuiuium Masottij, de quo etiam in Epistola ad Iacobum fusè scribit.

Elegia.

Iam mea Flora vale, patrijque valete penates,
Me virides syluæ, me ciet almus ager:
Rura colam posthàc; meliori fusa metallo
Rure dies nobis, candidiorque fluit.
Sunt ibi tranquillæ fœlicia commoda vitæ,
Curarum domitrix regnat amica quies:
Et pax rorantes agitans fœcunda quadrigas
Innumeras cornu diuite fundit opes.
Hæc florum spargit nimbos, hæc nectaris imbres,
Dum placido fluuius gurgite lambit agros;
Musica dum volucrum pubes frondentia syluæ
Tecta super liquidis irrigat astra modis;
Et vitrei fontes grato per amata susurro
Saxa cadunt, volucri dum fugit vnda pede:
O ego quàm cuperem vitreis lusisse sub vndis,
Impatiensque æstus occuluisse caput?
Quàm cuperem hamata piscator arundine captos

Prædari pisces, nexilibusue plagis,
Aut volucres auidas visco captare doloso,
Perfida mentitam dum parit esca necem:
Seu leporem geminum catulo superare volanti,
Retia seu ceruis tendere, siue lupis;
Umbrosumque nemus lustrare, ac tecta ferarum
Frondea, Marmaricis non habitanda iubis.
Iàm videor mihi per syluas errare comantes,
O mihi quàm dulce est incoluisse nemus.
Nempe choro Aonidũ, & patri gratissima Phœbo
Sylua Poetarum fertilis agmen alit;
Format & ignaro pastorum ex agmine Vates,
Qui sociant calamis rustica verba cauis,
Hæc tamen errantes ducunt per saxa capellas,
Atque auidum frænant imperiosa pecus:
Insinuant somnum bibulas cantantis in aures,
Dum fessa in tenero gramine membra locat.
Excubias agit arrecta vigil aure molossus,
Latratuque procùl imperat ire lupos.
Ille greges seruat custos, vt debita lactis
Munera pastori, velleris atque ferant.
Harum diues opum pastor preciosa metalli
Pondera, quæ pariunt perniciem precio,
Et populi fasces, miserique insignia Regis,
Aurataque trabes, ærisonasque fores,
Spernit & augustos operosa mole penates,
Qui rigidis lambunt sydera celsa comis,
Inuidiæ plenos, fraudum, fœtosque dolorum,
Mortis &, insanum quos manet exitium.
Securos colit ille lares, castumque cubile

Nato-

Natorum caro cum grege, cumque patre,
Candida cui coniux epulas apponit inemptas,
Vinaque securis largiùs hausta cadis.
Vt liquor in vitreo spumat gratissimus orbe?
Auro non emptus, aureus ille adeò:
Auro alius, gemmaque bibat: Virus latet auro,
Fertilis in domini perfida gemma necem.
Gemmatas alius vestes, & murice pictas
Iactet, & arcanas semper egenus opes,
Iuratas & opum comites in pectore curas
Nutriat, & dubio ruminet ore dapes
Incertus vitæ, dominique timoris in vndis
Fluctuet, erepto nauis vt orba duce:
Ast ego calcatis opibus, populique fauore
Inuidiosa libens munera parco aliis.
Me iuuet agricolæ in morem gratissima campi
Iugera, & agrestes incoluisse lares.
Hìc animi regina quies, vitæque beatæ
Arbitra fœlices imperat esse dies,
At procul esse iubet curarum examina centum
Ite procul curæ carnifices animi.
Est procul imperij sitis execranda, malorum
Nutrix: & scelerum fertilis vsque parens,
Hostis & ipsa sui, nigro quæ dente cerastas
Rodit auernales, exulat inuidia.
Et cupidus mortis, qui dissipat agmina Mauors,
Sanguineos agitat qui truculentus equos,
Quem sequitur luctus, quē fraudū exercitus ambit,
Atque iræ, atque horror, ac furor, ac rabies,
Et Mors funereis æquat rapidissima pennis,
Scili-

Scilicet usque suum mors comitata ducem.
Hæc tamen in tristem magnorum armata ruinam
Agricolæ patitur longiùs ire dies.

De Serenissimis Principibus Mathia, & Francisco Mediceis fratribus.

SAluete, ò pueri, natalis sydera Cæli,
Quæis Lædæ cedit progenies gemina:
Scilicet in vestra radiant sic lumina fronte;
Noctis inocciduos vt superent oculos.
Candida germano facies depingitur ostro;
Aetereum roseo regnat in ore iubar,
Et pudor, atque decor, cognataque turba leporum;
Et quæ tergemino Gratia fonte cadit.
Castora contemnens, & fratrem Florida pubes
Vos posthac, veluti sydera fausta colet.

Ad N.

QVid quereris dominæ fallacia verba dolosæ?
Thaidis est munus fallere, Thaida amas?
Per sua non cauto fallax iurabit amanti
Lumina, per vitæ munera, perque caput.
Subdola mentito finget suspiria corde,
Atque rudes veri ducet ab ore sonos.
Nulla fides verbis, non menti candor; olores
Quæ niueo vincit pectore, corde nigra est.

Luſus de Iucundo. Fictum nomen..

IVcunde, non fratres, ſorores non habes,
Iucunde, non tu frater es, non es ſoror,
Attamen es idem frater, atque idem ſoror.

In laudem Alexandri Adimarij Florent. Patricij, Academici, & Poetæ.

NVnc ore torquet fulmineo canis
In axe regnans ignea ſpicula,
Inops & vndarum liquentum
Ignifluo pluit amne Cælum;
Quanto rigaret pectora gaudio
Viſuſque noſtros, ſi remeabili
Diffuſa tempeſtas ab axe
Vitrea peruolitaret agros?
Arriſit aer nùm ſitientibus?
Vel Phœbus author ludit amabili
Inſania me, vel miniſtrat
Faucibus ambroſiæ fluenta.
Dircæa ſanè vena ſuperſtitis
E fonte manat Vatis, & vbere
Campos per etruſcos refuſa
Gurgite floriferos penates
Inundat, almi gloria Pindari,
Obliuioſo quam tumulo ciet
Ales canorus, Phœbi alumnus,
Famaque Pegaſidum cohortis:
Ingens auorum nobilium decus,

Qui

Explanatio Allegorica.

Calcat ima terræ inuidæ, ſcilicèt iacentem conditionem, & ſordes corporis, ſiuè vt proprius loquar, materiæ, quę dicitur inuida, quia deprimit animum, impeditque ne ad ſublimia tendat; ne dum perueniat Hęc appellatur à Græcis ὕλη hoc eſt ſylua plena errorum, & malignitatis, à qua, velut à radice germinant errores, & ignorantia, quæ Mater vitiorum eſt. Hinc ſapientèr cecinit more ſuo Boetius (huius extant carmina Philoſophica, adeò præſtantia, vt redoleant diuinum ingenium, ac iudicium ſapientiſſimi Conſulis, & Philoſophici, & Rom. Senatus.) *Fælix, qui potuit grauis Terræ ſoluere vincula.*

Arceſque cognatas. intellige virtutes, ſeu attributa, vt loquuntur Theologi, numinis, quæ dicuntur cognatæ, quia coeternæ, nàm quicquid eſt in Deo, æternum eſt, vt Deus ipſe, qui dicitur parens, quia àb hoc, à quo omne datum optimum; & omne do-

Qui bellicosi robur aheneum
Foresis illustrat nitore
Aurifero melius renidens.
Quid nunc Foreses Herculea potens
Vi martialis pectoris arduum
Strauiße ductorem Thyphæo
Mole parem, validisque membris
Tumes Ghibellina agmina dissipans?
Quid purpurato sydere fulgidum
Se iactat Antistes Pisanæ
Egregius moderator Vrbis?
Phœbea vincit gloria martium,
Ac vna vincit purpureum iubar;
Diuinitatis æmulatrix
Tergeminæ radiat Poesis.
Hæc ima terræ celsior inuidæ
Calcat volucri flaminis ocyor
Aura, per & nubes volantis
Fulminis aligero rotatu;
Cælumque pennis vecta curulibus
Stipata tangit laurigero agmine,
Arcesque cognatas parentis
Numinis, elysiosque campos.
Ibi è fluentis nectareis bibit
Consors Tonantis patris, & æmula
Effingit Heroum colore
Sedula multicanente formas.
Has fabulosis carminibus tegunt
Vates, alumni scilicet ætheris,
Virtutis & fabri supremæ

donum perfectum; prouenit vera, scilicèt casta, & sacra Poesis, quæ diuina est, & diuinos inter furores in Ione refertur à diuino Philosopho. *Elysiosq; Campos.* Nimirũ Cęlum allegoricè significatum, & tali nomine indicatum à Platone, si rectè memini, licèt etiam sensu literario posset rectè intelligi, scilicèt poesim, Cælum supremum, & cãpos Elysios sub terra positos attingere amplitudine sua.

Pro *Fluentis nectaris* intellige fælicitatis fluuios placidissimos è fonte illo inexhausto Deo promantes, & in eundem reflexo gurgite redeuntes.

E quibus *bibit* poesis *consors* Dei *Patris*; scilicèt sui Genitoris, *& æmula* eiusdem fabricat, & informat Idæas Hæroum, nimirum exemplaria virorum perfectorum, & quasi suprà conditionem humanam constitutorum.

Has formas tegunt carminibus fabulosis, idest numerosis fabularum sigmẽtis inuoluunt ad maiorem legentium voluptatem, & admirationem Poetę veri, *alumni scilicèt ætheris*, quibus igneus est vigor, & cælestis origo; *&* archi. tecti *supremæ virtutis.* è qua fælicitas humana profluit, *beatos* efficiunt, quos *carmine* celebrantes perfectissimos exprimũt. Hoc probatur exemplo Æneæ, qno nomine significatur vir excellens ad veram sapientiam comparandam excitatus, qui animo sublimis, cremato

Ilio,

Car-

Carmine constituunt beatos.
Testis cremato fortis ab Ilio
Dux, æquoris per mille pericula,
Centum per errores potitus
Italiæ fugientis ora;
Testis parentis gloria Thusciæ,
Insigne cœtus laurigeri decus,
Sublimis ales, inuidendus,
Qui famulum volitans per Orbem,
Armatus ala qui gemina, & Iouis
Horrenda calcans mœnia tertij,
Purgantis ac regni per ignes
Ad superas remeauit arces.
At quò canentem, Calliope, rapis
Vatem? quadrigas ingenij leues
Iam flecte retrorsum, ac vocantem
Carpe via breuiore metam.

Ilio, nimirum domicilio obscenæ voluptatis fortem se pręstans aggrediēdo, & patiendo difficilia, *per mille pericula*, *centum per errores*, quibus aliquādò actus inter fluctus, ac procellas *æquoris*, scilicèt vitæ ciuilis, quæ tempestatibus ferè continentèr agitatur, vel instantium vitiorum, vel imminentium errorum recto cursu deflectebat, potitur tandem *ora Italiæ fugiētis*, scilicèt sapientiæ, quæ fugiens quodam modo videbatur illi priùs, cū opinione longiùs disiuncta foret, ac difficilior comparatu.

Additur exemplū Dantis, quo nomine intelligatur Christianus animus optimus, qui rectè appellatur *gloriæ Thusciæ*, scilicèt Religionis *parentis* (nam Thuscia Religioni semper fuit in primis addicta, vt veteres, ac recētes Scriptores asserunt) quæ vera mater est animi, quem parit, ac parturit ad Deum, ad æternam vitam.

Cœtus laurigeri, scilicèt animorum sui victorum, ob quam victoriam omnium præstantissimam testimonio sapientum lauro coronantur cęlesti, scilicèt laureola, quæ triplex est, alia enim Virginibus, alia Martyribus, alia Doctoribus sanctis à beneficentissimo Deo donatur in Cœlo.

Sublimis ales (vt omittatur in sensu literario allusio cognominis) dicitur, quia habet geminam alam assignatam à Platonicis, quibus armatus volitat *per orbem famulum*, quippè animus Sapientis est dominus orbis, stulti autem, ac vitiosi animus famulus est. Pro orbe famulo rectè intelligetur rerum vilium multitudo, siuè vniuersitas.

Calcans mœnia Iouis tertij, scilicèt Cacodęmonis, qui rector tenebrarum est, ac mundi Inferni, qui horrendus cæca caligine, & flammis vltricibus significat vitium; hoc Dantes calcat, dum huius naturam maximè deformem contemplatur, vt hanc exosus fugiat libentius, atque facilius.

Purgantis Regni per ignes, scilicèt pet virtutis purgatiuæ operationes, quæ ignes dicuntur, quia vrunt germina, & radices vitiorum.

Ad superas Arces, scilicèt ad virtutes supremas, & exemplares, quæ in mente diuina regnant, ad quas contemplandas remeat, nam (vt Platonici dicunt) animus noster è Cęlo delapsus in corpus velut in carcerem infernum inclusus erat, & (quod Theologi non negabunt) à Deo creatus ab hoc quodammodo descenderat in corpus, licèt propriè non descenderit, qui ab ipso Deo, qui extrà locum adest omni loco, manans adest corpori (vt ità dixerim cum Fic. lib. 18. c. 4. Th. Plat.) sicūt à Solis lumine radius oculo.

Et hi sunt (ni fallor) tres status animi nostri, vel coniuncti cum corpore, de quibus Dantes scripsit, scilicèt cum animus in se reflexus, & diuina gratia illuminante illustratus considerat vi-

tij turpitudinem infęlicem, quæ cognitio est primus.

Secundus est, cum purgat se se à vitijs, & dicitur purgatiuus. Tertius cum diuina contemplatur Deo coniunctus per stabilem actum, & dicitur contemplatiuus, qui nō nisi in altera vita perfici potest, & absolui, vt docent Theologi Christiani, & innuunt Philosophi principes.

Dantem hìc agens Poetam, & Oratorem in Elogio Com. Guidibaldi Bonarelli, celebraui, non immeritò; neque obijciat mihi quis censorio supercilio grauis, & horridus, multa obijci iure poemati Dantis, quod neq; Epicum, neque Comicum videtur appellandum, cum promiscuè representet, & narret aliquandò, nec argumentum, neque personas simplicitèr Epicas, aut Comicas elegerit; sed potiùs Diuina fabula, vt àb alijs fabulis distinguatur, quæ tamen habet affinitatem quandam cum latinorum prætextatis fabulis; aut poema sine alio adiuncto. Compertum quippè mihi est, corpus hoc poeticum Dantis, quod maiorem laudationem, maioremque simùl vituperationem tulit; quàm Etruscum quodlibet, compluribus maculis inquinari, quæ à Scriptoribus oculatis, & eruditis ostenduntur oculis nimię affectionis nube non obumbratis; ego tamèn nonnullas proponam notas olim à me perspectas, scilicèt humilitatem aliquando plebeiam, & sordidam styli; dissociabilem diuinæ veritatis, & fabulosæ vanitatis societatem; mixtionem latinarum vocum, & versuum in Etruscis, quæ redolet non raró pędagogum authorem, nō Poetam, qui Diuinus passim compelletur; immodicum denique ardorem disceptandi more cucullatorum in scholis, quorum modos, & vocabula intemperantèr adhibet, vel cupidior scientię ostentator, vel oblitus personæ, quam gerit, nimirum poetæ, in quo doctrinam laudo, & admiror allegoricis velatam inuolucris, & poeticæ floribus eloquentiæ coronatam: Hæc non raró regnat in Dante, hanc celebraui, aliaque verè digna præconio, qui nunc syncerè, liberèque damnanda in eodem attigi omnis expers odij, ac liuoris, qui Dantis ingenium sine controuersia maximum amo, atque admiror, & maioris facio, quàm regna maxima, ideòque apponam Epigramma, quod olim texui.

De Dante Poeta Diuino.

ETruscæ micat arbiter Camenæ
Dantes Hesperiæ parentis astrum,
Dantes Vrbis Apollo, qui Poetas,
Et Græcos simùl, & simul Latinos
Vicit ingenio, peritiaque.

De Vere aduentate.

IAm reluctantes animas catenis
Frænat horrenti residens in antro
Aeolus, sceptroque potens trabali
Temperat iras;
Scilicet solùm Zephyris habenas
Laxat effusas moderator vltrò,
Vt vaga flatus genialis aura
Peruolet orbem:
Floret ò tellus Zephyro colono

Ruris,

Ruris, herbarumque micant virentes
Millium crines; bona discolori
Iride florum
Arua pinguntur; Veneris cruento
Murice effulget rosa, diua florum;
Caltha natiuo radians in auro
Ardet, vt astrum.
Flebili inscriptus lacrymat querela
Ille flos puporum, amor ille Phœbi,
Atque de septemgeminis odorem
Crinibus efflat.
Ardet auratus crocus igne suo,
Candicant viuis niuibus ligustra,
Liuor at blandus violæ ruborem
Gratiùs vmbrat.
Explicat vernas genialis auras
Aura vernantem volitans per orbem;
Nempe centenis oculis refulget
Florifer annus.
Non tot in cauda gerit inuidenda,
Quam rotat diuæ dominantis ales,
Quos parens olìm cytharæ loquacis
Abstulit Argo,
Patris interpres Iouis, ac Deorum,
Qui potens virga locat in beato
Orbe fælices animas, leuesque
Trudit ad Orcum:
Ducit hac pastor veluti capellas,
Sed prior pennas posuit volantes,
Tegmen ac præsens, animatque iunctas

Blandus auenas:

Hauriens Argus sitiente cantum
Aure læthalem fruitur doloso
Gaudio vocis miser, ah cruentæ
Nescius artis;
Nescius fati venientis aures
Pandit, at victos oculos sopore
Claudit, haud omnes simul, & quietus,
Ac vigil idem:
Ille custodes domuisse tentat;
Ferrea victor premit hos quiete,
Nocte restinguens oculos tot vna,
Nocte perenni.
Huius edoctus genitoris artes
Duxit Amphion scopulosa montis
Viscera, & plectro modulante muros
Condidit vrbis:
Duxit ac rupes, comitesque syluas
Thracius Vates digitis canoros
Barbiti neruos animans fluentis
Arbiter vndæ;
Hanc ligat blandis facilem catenis,
Sistere & cætus solitus volantes,
Sistere & Cauri glacialis auras,
Sistere & Euri;
Ac Noti frænans, Boreæque vires
Arbitro cantu, cytharaque pacis
Arbitra, & belli fera præliantum
Bella diremit.
Quin & expulsa feritate tigres;

Ac iubis vltrò positis Leones,
Agmen vrsorum docili sequutum est
Ungue canentem.
Ipsa concentu Iouis aula summi
Capta, & obliti properare cæli,
Phæbus auritusque melos canori
Ebibit Orphei.
Quid moror? nigri fera monstra regni
Vicit imbellis, domuitque cantu
Cerberum nupèr triplicis tonantem
Fulmine linguæ;
Hic libens audit, tacitusque vtraque
Aure, quem incesto laniare dente
Credidit, victus dominoque collum
Præbet amicum;
Oris hoc sertis ligat is triumphans
Aureis; ferri procul ite vincla;
Ille nam victor, dominusque verè,
Qui ligat auro.

De Rege, qui detractori donauit aurum, fictum argumentum.

QVi rabido linguæ in Regem vomit ore venenum,
Xanto Rex auri pondera quinque dedit.
Obsequiosa cohors Regi dum suadet, vt illi
Excindat gladio vindice vipereum os,
Rex ait, ò proceres, linguam non cadere ferro
Infensam, ast auro claudere nempe decet.

In mortem Iulij Medicis Equitis D.Stephani, &c.

QValis superbo turgidus agmine
Vinclis refractis æoliæ domus
Baccatur horrentes per agros
Fulmineo Boreas fragore,
Doctus feracem sternere frondium
Quercum, niuali quæ viget Algido,
Stirpesque diuellit comantes
Indocilis cohibere vires.
Sic execrando tristior impetu
Mors hostis illustrem in Medicen furit,
Armata quem tristi bipenni
Strauit humi, rabiosa victrix.
Quid nunc honores gentis amabiles,
Quid sceptra magnorum inclyta principum,
Fascesque regnantum verendos.
Flebilibus referam Camænis?
Quid elegantis pectoris hospitam,
Vultu nitebat quæ modo, Gratiam,
Quam blanda maiestas fideli
Nexa adamante soror tuetur?
Quid & iuuentæ purpureum iubar,
Mentisque dotes ingenuæ graues,
Quam semper insignis colonus
Artibus excoluit supremis?
Hinc inuidendis clarus honoribus,
Fælix secundo flamine principis
Orator à nostro remotum

Car-

Cardine Regem adijt Britannum,
Dignus potentes visere principes,
Rerum peritus, consilij ferax,
Edoctus artes, & sagatæ
Palladis, & varias togatæ.
Testes Hetrusci principis agmina,
Quæ temperauit munere splendidi
Functus parentis, qui senatus
Florigeri decoratur ostro;
Testisque rector nobilis Insubrum,
Summus cateruæ Ductor Ibericæ,
Qui militare sensit acris
Consilium Medicis, manumque.
Hùc bellicosæ præmia dexteræ,
Hùc eruditi munera verticis
Accerse frondes, quæ virenti
Impediant Medicen corona.
At, ò sororis fatiferæ manum,
Crudumque mortis vulnus ahenea?
Quid atra conceptos triumphos
Eripis exitio cadentis?
Mortis trophæum est, qui spolia hostibus
Optima victor credidit altior
Raptare, & obstantes cateruas
Sternere fulmineo rotatu.

Ad P. Tarquinium Gallutium.

CArminis alterni princeps, cui sacra reuincit
Vndantes auro casta Elegia comas,

Excipe nascentis carmen variabile Vatis,
Et placido varias lumine cerne notas;
Nam tibi submittit nostra hæc Elegeia fasces,
Atque tuum sceptrum prona, volensque colit:
Nempe tuis manibus tractata, oculisque nitorem
Combibet; hoc vnum sperat habere iubar.

Ad Card. Vbaldinum Bononiæ Legatum.

CVltor laurigeri beate montis,
Cui frontem dominam coronat ostrum,
Cui dium ambrosiæ propinat amnem,
Phœbus agminis arbiter noueni;
Excipe ò placido secunde vultu
Nascentis tenerum poema Vatis,
Quod fasces tibi subdit imperanti,
Censorem quod amat minùs seuerum;
Bacchum scilicet id refert parentem,
Nam Bacchus rigidum fugat Catonem.

In laudem Iulij Strozzæ Poetæ Clarissimi.

IAm medium curru lustrauerat arbitra Cœlum
Vmbrifero, tenebris nox adoperta caput,
Sylua carebat auis cantu, risu arua rosarum,
Luce solum, pontus turbine, sole polus:
Languida fœlici dederam tùm lumina somno,
Cum premeret victrix pectora fessa quies;
Ecce tibi (grata dum ludor imagine) flumen
Castalias gemino gurgite voluit aquas;
Necta-

Poetam à varijs Scriptoribus celebratum celebraui poeta Elegia, quæ (si fas aperire mentem meam) si qua alia, mihi arridet.

Laurigeræ genti. Quã Mars, quam Phæbus, &c. Ad hãc illustrandã in primis conspirarunt raro fœdere iũcta belli, ac literarũ Numina, quod nullus inficiabitur, nisi prorsùs ho-
spes

Nectarei ſpumant precioſo è flumine fluctus,
Obruit en ſitiens dia procella caput.
Naufragium fœlix; Charitum lepidiſsima turba
Excipit auguſto pectora lapſa ſinu,
Meque per ambroſias ducit fœlicior vndas,
Et patrio gemmas diues in amne legit;
His opifex texit radiantem rara coronam,
Cui nunquam tellus Vidit Eoa parem.
Ne iactes, Ariadna, tuum diadema, noueno
Sydere ab æthereis quod tibi plaudit agris.
Scilicet illa tuis radiat formoſior aſtris,
Hæc Iouis auguſtum nectere digna caput.
Neſcia vox, tanto quis viuat dignus honore,
Conſulit artifices obſequioſa Deas,
Hæ mihi, gentili donum immortale Maroni
Porrige, cæruleos qui micat inter agros,
Quem ſibi regnator Vatem delegit aquarum,
Cui vehit Adriacum gemmea dona fretum,
Quem tenet illuſtris mundi Regina liquentis,
Aemula quæ Romæ libera frænat aquas:
Cuius inocciduas fœlici carmine cunas
Concinit, Aonij gloria rara Chori,
Quem leuat æterni moderatrix Numinis aura,
Guiſcardi cantu dum pia bella tonat,
Quem cupit emerita Phœbus præcingere lauro,
Vt vireat doctæ munere frontis apex.
Talia cum biberem ſitienti non vigil aure,
Somniaque, & ſomni rupit Apollo vias;
Scilicet in ſomnis laudes contexere Vati
Non decet, es medio concelebrande die,

ſpes in eruditionis regno, cum pateat Strozzanum genus nulli Florentino concedere numero ſimùl, ac ſplendore imperatorum, aliorumque ducum, & Poetarum, Philoſoph. Oratorum. Teſtantur id plurimi, ac diuerſi generis ſcriptores qui vel proceres Strozzas nominatim, vel genus vniuerſum illuſtrarunt tot, tantiſq; laudibus, vt ego ſeuerior, & in Elogio Oratorio Nānis, & in Hiſtorico Epigrammate familiæ cum alijs Flor. inſignibus deſcripta ſim iudicandus; qui non pauca Strozzis perhonorifica prudens omiſerim, quæ traduntur à Scriptoribus, quos refero in Elogio ſupramemorato, & in familia. Libet hìc referre quędā verba Leonardi Aretini ſcriptoris eruditiſſimi. *Nannem oratione funebri celebrantis, qui Strozzam gentem tunc Florentiæ primariam eſſe innuens ſubdit.*

Eſt enim familia ſplendidiſſima, ornatiſſima, opulentiſſima, multis Equeſtribus imaginibus, multis præſtantibus viris clara, & tàm domi, quàm militiæ ſummæ auctoritatis, &c. Diuitijs verò vſque adeò opulenta, vt nonnulli ex ea familia ſupergreſſi ciuilem diuitiarum modum, pares regulis opes, redditusque poſſideant.

Oratori Aretino conſentire videtur Volaterranus hiſtoricus grauis & liber, qui de Rebus Florentinorum ſcribens gentem Strozzam (id pauciſſimis familijs, & eminentibus cōtigit) illiuſq; proceres

Iuli, laurigeræ nupèr fax addita genti,
QuamMars, quā Phœbus tollit in astra comes.
Ipse quid Heroas memorem, quos martius ardor
Egit in aduersos dura per arma duces?
Insubriæ Reges sensere, quid ardua virtus
Stroctia, quid poßet dextera fulminea,
Hostica dum sonipes Vrbis propè mænia magnæ
Aemulus aligero curreret vsque pede;
Nannius Insubres cum fregit, morte triumphum
Mercatus, viuit sanguine partus honor.
Sensit, & obstupuit victricia vela Leonis
Ire per vndisonos cærula Doris agros,
Sensit, & Ausonio diuisus ab orbe Britannus,
Quæ fuerit virtus, consiliumque Petri.
Quid referam domitos hostes, spolia ampla relata,
Captaque victrici mænia celsa manu?
Stroctia nempè cohors Phœbo deuota parenti
Me rapit in laudes ingeniosa suas:
Titus adest resoni dux agminis, alite fausto
Qui petijt sacri culmina docta iugi;
Natus Apollinei sequitur Tirynthius orbis,
Qui Latium Herculeo sustinet ore polum;
Claruit ac mira qui rythmos arte Ioannes
Texuit, Etruscæ tertia fama lyræ;
Fæmineique decor virgo Laurentia cætus
Cælestes cecinit candida musa modos;
Digna polo syren, stupidas innoxia cantu
Virgineo mentes euehit astra super.
Has rapit ad superi venerandum limen Amoris,
Cuius inocciduo carmine mira canit.

ceres Nanni æquales celebrat.
Hostica, &c. Hoc breuiter expressum leges in Elogio Oratorio Nannis, dum Petrum celebro.

Non iniuria celebratum à me in Elegia, & in margine Herculem iudicabit qsquis legerit Herculis aliquot Elegias mediocritatem superantes. Intèr has excellit illa, cuius lemma.

In tunicarū munus pro Mario Æquicola, quæ ob versuum præstātiam, ob eruditionem poeticā, ob delicatam venustatem digressionis de Venere, Venere profectò dignam arrisit mihi maximè.

Huic ferè par ea, quæ incipir.

,, Quò Lyce, quò properas, celerem compesce carinā, in qua suprà eruditionē sparsa leges poetica sensa, & amatorias affectiones non vulgares,

Duabus his non longo proximæ interuallo vidētur duę, altera orditur, *Ite Dionææ.* altera, *Vrbe meus discedit amor,* Arrisit etiam illa ad Luc. Borgiam relictis curis Reip. *Publica cura vale*, in qua describit Poeta suas actiones honestas, &c. Licet hanc omnibus supra laudatis inferiorem duxerim.

Scripsit prætereà nonnulla Epigrammata egregia, ac similes forsitan Elegias alias, quas prætereo, cum omnes non legerim, ac pensitauerim, ideòque parco censuræ, quæ hìc non videtur necessaria.

Tit. illustris latinis carminibus, magistratibus, Ele-

Me

Me tecum geminis, ò tolle per æthera pennis
Virgo, sacer pennas ò mihi nectat Amor,
Lucis inexaustæ clarato lumine fontem
Vt videam, triplici gurgite qui fluitat,
Tergeminum lapsu qui diuite permeat orbem,
Dum circus paribus orbibus vnus adest;
Hunc vtinam, Iuli, fontem libemus olores
Aethereos inter, sydereosque Choros.

legationibus gestis genuit Herculem Poetam Elegiacum excellentem, à quo vinci gaudeat, & glorietur pater:
Herculem ornauit oratione funerea Cælius Calcagninus.
Hic Io. Bapt. Lyricus Egregius, & facile princeps eorum qui carmina vulgò Madrigali scripsere olim.
Obijt ann. 1571. Florent.
Virgo Laurentia;
Hæmonialis S. Nicolai Pratensis latinos Hymnos edidit.

In obitum Philippi III. Hispaniarum Regis.

VVlt sibi certatim tellusque, polusque Philippum,
Olli turba hominum: ast huic fauet aligerûm;
Parca secat litem regalia fila recidens:
Sit diues tellus corpore, mente polus.

Certamen amabile terræ, Cælique de Phil. non temerè finxi, cum tanti Regis potenriam per tot Insulas, & Regna diffusam sociauerit probitas in Cælum attollenda.

De Cæsare Cremonino Philosopho primario.

SAlue, ò tu Sophiæ magister, æui
Nostri Aristoteles, stuporque mundi,
Præstans Eloquij nitore puri,
Phœbo, ac Mercurio caput sacratum;
Qua te laude feram, haud scio, quid ergo?
Cum nescire reor, probè scio tunc.

Descriptio diei nascentis.

IAm puer è patrio Phœbus caput exerit amne,
Roriferumque ornat luce comante polum.
Phœbæi radiant multo pro sydere crines,
Terraque natiuis purpurat alma rosis:
Quot radios, totidem diffundit lumina Phœbus,
Queis videt omnigenas Orbis amatus opes.

De signis marmoreis.

ASpice Thyrreno ductos è marmore vultus,
Atque auidos visu pasce oculos iterum;
Cernis, vt ora hæc spirent oribus æmula viuis;
Absque anima viuunt? spiritus ille fabri est.

In N. pro H.

IAm lacerare hunc parce, Iouis nutricius est hic;
Est scelus affines carpere numinibus.

Descriptio Veris Claudiani Stylo exarata.

Prætereunda duco varia carmina; at præterire piaculum esset Descriptionē Veris Claudiani stylo exaratā, quæ candido, optimo.

ARboreos agitat ludenti flamine crines
Lasciuæ Zephyrus moderator amabilis auræ,

Vestit & herboso lætos velamine campos,
Almaque florigeris distinguit prata coronis,
Fæcundus genitor florum, quo patre superbit
Florea progenies, cælestibus æmula gemmis.
Cernite, proh qualis natiuo fulgeat auro
Caltha pruinosum perferre ignara rigorem,
Qualis & Idalio radiet saturata cruore
Dux rosa florentis non exæquanda cohortis:
Lilia virginei vt pandunt vexilla pudoris:
Vt viola æquoreos imitatur cærula fluctus:
Vt pallet fatum illacrymās Hyacinthus acerbū,
Vt propria turget narcißus imagine captus,
Ebibit ac vitam, mortem qua duxit, ad vnda:
Libera iam currunt glaciali flumina nexu,
Et pelago soluunt vndarum mole tributum:
Squamosumque genus natiua per æquora ludit;
Ludit & in pratis pecudum lasciua caterua,
Dum nouus in terris regnat cum matre Cupido,
Qui domat horrendos lunatis dentibus apros,
Ore lupos, villis vrsos, ac vngue leones,
Lethiferosque atri serpentes tabe veneni;
Nunc volucres regni vocalis turba virentis
Artifici varios meditatur gutture cantus,
Vt nato intexat laudum diademata Veri.

moque iudici summè placuit, vti testatus est pluribus; authori nō displicet.

De Thadeo, & Antonio Barbarinis Vrb. VIII. S. P. Nepotibus ex Fratre Carolo S. R. E. Imperatore.

Nec non Epigramma de Thadeo, & Antonio Barberinis Vrb. VIII. Nepot. ex fratre Carolo S. R. E. Imperatore. Huius Elogium funebre Boloniæ editum excribere ne pigeat.

Vos quibus attollam numeris, par nobile fratrum?
Gratia vos anteit, vos comitatur honos;
Virtutumque cohors, laudumque exercitus armat,
Ornat & ingenij gloria ter lepidi.
Mel vestras animat voces, nam verba loquentum,
Quæ nectunt animos, mellea vincla reor.
Quid patrios celebrem fasces? me iudice maius
Præbere in tanto cardine se facilem.

D. O. M.

CAROLO BARBERINO ARETI DVCI
Vrbani Octaui Pont. Optim. Max. Fratri
S. R. E. Vexillifero, & Apost. exercitus
Imperatori.
Qui vt olim apud RHÆTOS pacem Italiæ
collabentem consilijs erexit,
Ita nunc vt eandem nouis incendijs expositam manu,
oppositque corporis
Repararet, Bononiam vsque contendens,
ibidem centuriatis copijs,
Propugnaculis munitis, ditionis Pontificiæ
finibus fœliciter seruatis

Ciui-

Ciuibus donis, & honoribus auctis
Moriens
Bonorum omnium malo æternum ſibi bonum quæſiuit
jv. Kal. Martias Anno ſalutis M. DC. XXX.
Aetatis LXVIII.
S. P. Q. B.
Principio Pio, Forti, Inclyto,
Et de ſe optimè meritò
Exactis Parentalibus.

P. D.

De Carolo funebrem habuit, ediditq; Romæ orationem ſanè luculentam; & nobilem Iulius Cencius ſacræ Conciſtor. Aulæ, & S.P.Q.R. Aduocatus.

Thadæus nunc excellit Præfectura Romæ, Imperio militari S.R.E. principatu, ac titulis.

Antonius verò natu minor, dignitate maior, quippè Cardinalitia, quæ, vti aſſerunt varij Scriptores, Regiæ par eſt.

Hunc Legatum à Latere Sum. Pont. Vrbani celebrauit nobili Ode Leonardus Todeſcus Canonicus, & Academicus Veronenſis.

De Dominico Molineo Senatore Veneto Primario:

Extemporale.

Nobilitas, cenſus, grauitas, prudentia, virtus
Dicitur vnius nomine Dominici.

Ad Flauium Querenghum Canonicum, ac Professorem Philosoph. moralis in almo Gymnasio Patauino.

Scilicet Antonij Latini, atque Etrusci Poetæ Clariss.

INterpres Sophiæ, colone mentis,
Alti cor patrui, medulla, lumen
Doctrinæ lepor, atque alumne Phœbi
Quid meos cupis ò videre versus?
Versus delicias noui Poetæ,
Sed parum lepidas; parum elegantes,
Hos cum corde tamen, Querenghe, mitto,
Cordatos igitur nequis negare.

Non est cur apponam hic Notas in alia carmina, cum prodierint in lucem, antequam Corollarium hoc absoluerim, Notæ profectò ingeniosæ Euretæ Misoscoli, vna cum poematijs meis, & eiusdem epistola nuncupatoria sanè pulcherrima, in qua tamen, vti in quibusdam Notis nonnullas offendi laudes, quæ non merita solùm, sed etiam vota, spesque meas excedunt ab effusa benignitate diserti Scriptoris emanantes. Eadem benignitas complures huius æui Scriptores, ac eruditos insignes excitauit, vt vel immerentem egregijs laudibus afficerent, conscriptis, aut habitis vltrò carminibus, Elogijs, & Epistolis honorificentissimis, quæ ingens volumen implerent: Harum nonnullæ Nuncupatoriæ extant typis impressæ, vt honofica testimonia Scriptorum, qui suis in operibus authorem sequuti sunt.

Sylua in laudem
FERDINANDI II.
CAESARIS.



Randis, vt Heroum virtus æterna
vireret,
Laurigeri ſudans conſcendi culmina Montis.
Spicula flammiferi Canis, atque horrentia brumæ
Frigora contemnens, & ſacro percitus æſtro
Hauſi vitalem doctore ab Apolline cantum,
Mortis, & ignaræ victor caliginis ardens.
Inuidia in caſſum ſtygias iaculata ſagittas,
Fregit, virtuti quæ miſcet pocula fellis,
Cognatoſq; truci corroſit dente ceraſtas.
Scilicet inuidiæ ridet mala fulmina virtus,
Et domat omniuori pernices temporis alas,
Si paret æterni fœlices carminis alas
Aethereus vates; noſtrum ne deſpice munus,
Heroum ſoboles, Romanique arbiter orbis,
Qui Reges domitas, qui donas Regna ſubactis,
Quique rebellantes fœlici Marte cateruas
Proteris inuictus, vel iniquæ turbine ſortis
Concuſſus, vaſto qui nuſquam in corde timorem
Excipis; indocilem frangi, ignarumq; pauoris
Non populorum ardor, non coniurata rebellis

Agmina terrificant Terræ, non fulmina Cæli,
Non pestes Erebi, triplicis quem machina Mundi,
Si caderet stabili conuulsa à sede, feriret
Impauidum.

Quid referam Heroum seriem, centenaq; Regum
Nomina, qui gemini frenarunt limina Solis
Queis fortuna nouum patefecit fertilis orbem,
Ipsa gradum sistens (mirare) immobilis, amplum
Imperium firmat generosæ in cardine prolis;
Cæsareæ cuius numerant capita alta coronæ,
Cognatasque comas regnatrix infula nectit,
Sed tibi quot pariunt famulantia Regna, coronas
Tot tibi virtutes nectunt diademata Cæsar;
Nullum at splendidius, quàm Relligionis alumnæ
Arte laboratum, gemmis cælestibus ardens.
Scilicet arbitrium generosi Cæsaris vna
Vindicat, æquæuiq; vehens trans mænia Solis
Nectit adorantem mansuro fœdere diuis
Hanc sequitur grauitas, & veri sancta cupido,
Nudaq; simplicitas fraudes exosa latentes,
Quæque incencusso clypei septemplicis orbe
Munita infringit virosæ spicula linguæ
Integritas, ridetq; minas Acherontis auari;
Mitis & astrigeri moderatrix orbis, alumnæ
Pacis, ad immanes Erebi quæ torquet hiatus
Iramque, & rabiem, truculentaq; iura furoris:

De Austriacę Augustę, vereq; Imperatoriæ gentis amplitudine hic nihil addendum reor, cum plena sint illius varia scriptorum monumenta, & breuiter ego de Ferd. non nullisque Heroibus gentilibus scripserim in Elogijs, & in Corollario.

In mortem Alexandri Card. Vrſini, cuius inſigne gentilitium eſt Roſa.

Epigramma Allegoricum.

DVm furit occidui populator ſpiritus orbis,
Romula ferali turbine rapta roſa eſt.
Purpureus defluxit honos, perit orbis ocellus,
Italiæ ſydus nobile, Sol patriæ.
Romula ne ſperes vernantia tempora tellus;
Ver tanta viduum luce erit altera hyems.

Nō indiget explicatione.
Indicabo lucem natalem occidentis huius ſolis .ſ. patriam, quæ vnico nomine Romę multa continet Encomia eruditis cognita; & gentem Vrſinam, de cuius ſplēdidiſſima nobilitate multi multis paginis egere, paucis verſibus ego in Oratorio Elogio Camilli pag. 88.

Sylua in laudem Vladiſlai Regis Poloniæ, Sueciæ, &c.

Magni Ducis Moſcouiæ.

AVra, ò progenies aeris innocens;
Lepor orbis, ꝯ voluptas,
Ades aura, quæ maritas
Peramœna prata Floræ,
Dum florentia fundis
Aſtra floribus ſupernis
Pulchriora, blandiora,
Tu per liquidos aeris agros,
Super auritas carmina pennas
Noſtra Heroem defer ad altum,
Qui Sarmaticis imperat oris.
Olli ſydereo texat de flore coronam

Phœbi docta cohors, virtutum munere diues.
Quæ candore niues Ismarias superant,
Lilia desert, arbitra linguæ,
Cordisque, fraudum non docilis Dea;
Quæque ligat stabili pacta adamante fides:
Quæque viros superis mansuro fœdere nectit,
Porrigit æternas flammea diua rosas.
At quæ præteriti conscia temporis,
Venturique sagax vitreum bis consulit orbem;
Maculis violas pingit amænis.
Deuota Marti, fulminis æmula
Virtus, æthereo calore præstans
Aurea flauentis diffundit munera chaltæ:
His opifex texat radiantem Musa coronam,
Cui nusquam tellus vidit alumna parem.
Ne iactes, Ariadna, tuum diadema, noueno
Sydere ab æternis quod tibi fulget agris;
Scilicet illa tuis florebit gratior astris,
Sarmaticiq; comas nectet Iouis, vsq; phalanges
Qui tumidas fudit bellantis fulmine dextræ,
Quem pauet Eoi regnator barbarus orbis,
Qui fera Threÿciæ perfregit cornua Lunæ,
Quiq; satum patulo Moschorum corde timorem
Martius hostili nutriuit sanguine cultor;
Regnaque centenas pariunt cui subdita palmas,
Victurumque opifex molitur gloria Templum.

De Vlad. Rege Polon. gloriosissimo nihil nunc scribam, cum scripserim fusius in Oratorio Elogio. Si quis plura de tanto Heroe velit, legat nonnullos historicos, è quib' hausi, quod olim effudi. Id tantum addidero Syluam hanc àb Alex. Adimaro nobilissimo Patritio, & Poeta nobilitatam etrusca versione, quam exscribam.

Para-

Parafrasi del Sig. Alessandro Adimari.

O De gli aerei campi
Aura figlia innocente,
Delizia del piacer, vezzo del Mondo:
Aura, vien quì ridente,
Tu ch'i prati di Flora à i fior mariti,
E le terrene, e colorite ſtelle
Più lucide, e più belle,
A garegggiar co' fiori eterni inuiti:
Tu per le piaggie di Zaffir tremanti,
Soura l'aurate penne alta foriera
Porta al ſuon de' miei canti
Il Grande Eroe, ch'alla Pollonia impera.
Teſſa à lui di ſtellanti aurati fregi
La ricca di virtù corte di Febo
Ghirlande eterne à di fugaci, e breui,
E quella Dea, che dell'Iſmarie neui
Vince il puro candore,
Arbitra della lingua, e in vn del core,
E quella ch'adamante è nella fede,
E quella, che collega huomin, e Dei,
E quella, che n'addita il tempo ſcorſo,
E fà dell'auuenir docile il Mondo.
Deuota à Marte, & emula al ſuo telo
Bella virtù, che ſi raccende in Cielo,
Tinte d'oſtro giocondo
Con pittura immortal tolta dal Sole
Sparghin ſopra di lui gigli, e viole.
Hor di fior così belli

In-

Intrecci eterna Muſa alta ghirlanda;
Oue per altra il Mondo in van s'affanna.
Non ti vantar del crin bella Arianna
Di noue riſplendente aſtri diuini,
Che queſta ſplenderà di più bel foco
Del Sarmatico Gioue impoſta à' crini;
Ch'al fulminar della guerriera ſpada
Superò le ſuperbe armi, e falangi,
Che d'Oriente il Re colmò di gelo,
Che della Tracia Luna il corno oppreſſe:
Che lo ſparſo timor ne' Moſcouiti
Piantò con Marte, & irrigò col ſangue;
Onde i ſudditi regni à cento, à cento
Gli germoglian hor Palme, e vincitore
Gli erge la Gloria al fin Tempio d'Onore.

Peſtis Deſcriptio Allegorica.

Ecce per hoſtiles peſtis volat orba cateruas,
Lurida centenos pro crinibus explicat angues,
Tres quorum deteſtatos contorquet in hoſtes;
Monſtrũ horrendũ, ingens, falcatis dentibus atrox:
Immanes Stygiæ maculantur tabe plaudis
Pennæ, queis Boream, ac trifidum præuertitur ignẽ,
Stat macies, nulluſque color, niſi mortis in ore.
Euomit os virus, diſtillant inguina virus,
Effundunt mammæ; pectus fluit omne veneno,
E viduis oculis viroſa elabitur vnda,
Germina quæ veris pubentes inficit hærbas:
Diſpereunt flores, areſcunt gramina paſſim:
Infi-

Peſtis, quę ſignificat in poemate diſcordiam fingitur à Poeta *Orba*, & *Oculis viduis*, ſcilicèt luce, cũ neminem aſpiciat, nemini parcat, eademque mortales viduet luce, mater tenebrarum, mortis, & horroris, ideòq; *Monſtrum horrendum ingens*, rectè appellatur, cum ſit naturæ monſtrum omnibus formidabile, cui adduntur *immanes pennæ*, &c. ad exprimendam peſtis velocitatem, quæ breui temporis interuallo oppida, Vrbes, Regiones, & Regna inuadit. Hæc, aliæq; peſtis proprietates conueniunt diſcordiæ Monſtro Politico, quæ funeſta peſtis omnium ſocietatum, exer-

Inficitur cum fonte lacus, pigræque paludes,
Et riui alipedes, & qui de vertice montis
Purior electro diffusus in arua virentes
Lambebat stellas fluuius, decora inclyta Floræ.
Dumque alata cohors meditatur in aere cantus
Decidit ipsa sibi exequialia carmina cantans,
Omnis iam volucris Cycnus, dum funere Cycni
Mergitur omnis auis, dum flumina piscibus orbat
Læthalis rabies, qua vipera vincitur ipsa,
Dum sonipes, taurique atris moriuntur in agris.
Sceptrigeri languent posita feritate leones,
Mansuescit quondam mansuescere nescia tigris;
Non lupus insidias gregibus molitur anhelis,
Vnica quos tabes hostis premit vnus, at ingens.
Fœta cadaueribus montes assurgit in altos
Oßibus albentes densis, auidoq; ruentes
Excipit in gremio tellus infida nepotes
Fertilis vmbrarum Regi, non luminis auris.
Aetas nulla vacat tàm sæuo libera fato,
At furit ætates pestis truculenta per omnes,
Cum senibus iuuenes, puerorumq; agmina nectit,
Dum pupum exanguem lacrymis deplorat obortis
Scißa comas genitrix, super ora trementia nati
Decidit exanimis natum comitata per vmbras,
Horrentes vmbras Erebi, noctemque perennem:
Altera debacchans, lucemque perosa malignam
Prole optat pereunte mori: Mors improba votũ est,
Nec mors passa diu vanas volitare querelas
Ludibrium Zephyris, matrum at miserata dolorem
Abstulit, & gemitum, lacrymosaq; munera vitæ,

Abstulit

exercitus, Respublicas, & Imperia corrumpit, exterminat, deuorat. Testes olìm amplissimæ Respub. Græcæ, atq; ingentia Regna Barbarorum. Testis, quæ Respublicas, & Monarchias, complexa est cogniti orbis Imperatrix Roma. Testis in Poemate hoc Politi exercitus hostilis, qui victor, ac pęnè triũphans suborta discordia euertitur, prosternitur, dissipatur. Hinc virus in descriptione significat virosam, læthalemq; vim, vt pennæ velocitatẽ, discordię, quę angues tres contorquet iu hostes, nimirum pestiferam inter Duces ęmulationem, mutuam suspicionem Imperatoris, & militum, & quę ab vtraq; fluit, inobedientia Militum, qui factiosos Duces sectãtur, alija lios, detrectant Imperium supremi ductoris, turbas excitant seditiosi, rapaces, suo magis, quàm alieno exercitui perniciosi,

Abstulit & fratres geminato fulminis ictu
Tartarei, fratrem frater ne linqueret alter.
Nascitur in luctu luctus nouus, orba que passim
Tecta iacent, ac templa suis viduata ministris:
Plurima funeribus densantur funera; mactat
Dum sacer Antistes contempti à Numine tauri
Cornua, placando moriens fit victima Cælo
Ipse aram super occumbit, ne debita desit.

Ode hetruscis rhythmis concinnata in laudem

LVDOVICI XIII.

GALLIARVM REGIS.

I.

Carminis dux non pereuntis aude
(Sic iubet docti Deus ipse Montis)
Musa vitali celebrare laude,
Vnde vocalis fluit vnda fontis.

II.

Galliæ illustrem, decorumque Regem,
Cui parat Mauors vigiles honores,
Corde qui celsam fouet vsque legem,
Cui parit centum probitas amores.

III.

Is rebellantes domuisse gentes
Doctus infandum pepulisse morem,
Qui dat æternum armisonis dolorem,
Atque discordes sociasse mentes.

Ille

IV.

Ille Rupellæ validus subegit
Robur infidæ, Maris æstuantis
Vinculis fluctus cohibens; minantis
Hostis irrisor fera tela fregit.

V.

Fama victorem celebrans honoret,
Ductili attollat peramanter auro,
Ac triumphales numeros laboret
Phœbus hunc nectens viridante lauro.

VI.

Pacis authori preciosa lymphæ
Dona devoluant, pia terra flores
Fundat, & dulces leuis aura rores,
Serta contexant variata Nymphæ.

Sylua in laudem Thomæ Contareni.

Mortis horrentes agitans quadrigas
Nata vesani Phlegetontis ardens
Pestis insignes populatur Vrbes
Nescia vinci.
Par est carnifices solari carmine curas; (lo.
Corporis, atque animi medicus mihi Phœbus Apol-
Arcem canori pectoris occupa,
Numen, sorores Pieriæ iuga
Laurigeri montis, patriosq; relinquite fontes;
Mecum vnà Veneto sub monte lacessere cantu
Sydera ne pudeat, miserosque arcere dolores.
At quem Castalides tergeminis ducem,

Aut Heroa libet tollere laudibus?
Numquid Alexandri Farneſi nomen in auras,
Aut Sabaudæ germina Stirpis
Duces corona, & faſcibus inclycos;
Aut Ateſtino ſemine Principe
Exortos reſona concelebrem Lyra?
At cur te ſileam, qui magne Ametice reperto
Imponis nomen (dictu mirabile) mundo?
Ciet canentem nobilis Adriæ
Regina, cui pontus verendæ
Supplicibus famulatur vndis.
Sacrata Famæ nomina Principum
Centena iactat, Vrſeolos pios,
Fortes Veneros; mens bona plurimos
Extulit, ingeniumque prudens.

Hic fuit Dandulus Venetus Dux de quo edidit cantionem Chiabrera.

Quæ valet Henrici lucem delere vetuſtas,
Vel tenebris armata ſuis? etiam inuida noctis
Obliuioſæ nubila deſpicit
Andreæ ſydus, quo Contarena refulget
Vberta laurearum,
Heroum genitrix domus:
Hos inter radiat meliori lampade Thomas.
Hic formidandi non horruit atra Tyranni
Lumina, non rictus, rabidæq; tonitrua vocis,
Viribus ingenij præſtans, & robore cordis,
Iuſtitiæ cultor, patrij tutator honoris
Igneus, æterno calami donandus honore.

De hoc Duce Volat. Geog. lib. 4. *Andreas Contarenus Pater Patriæ meritò vocatus, alterque Venetiarum conditor, quod eam à maximis inimicorum periculis liberauerit, inter quæ Genuenſium maximum fuit, &c.*

Hinc Gaſpar Contarenus Cardinalis, cui maxima doctrina, par eloquentia, nec minor virtus, vti colligitur ex eius vita, & Elogio, Andream gentilem ſummis laudib⁹ iure, meritoque celebrauit in luculentiſsimo de Rep. Ven. Opere.

Ode Allegorica
De Patria, atque immortalitate Musarum.

HAec Virgo tellus, nescia vomeris,
Iniuriosis inuia greßibus,
Quæ solis auratis patescit
Crinibus, astrigeræq; turmæ.
Hîc gratiarum dulce loquentium
Agmen choræas ducit amabiles,
Cognata Nympharum caterua
Dum sociat, replicatq; saltus:
Hæc flexuosis orbibus aera
Super volantis flaminis æmula
Vrget gemellum, mox iacentem
Quassat humum redeunte greßu.
Hîc & sorores, Mnemosines genus,
Plaudente Phœbo præside carmina
Aeternitati destinata
Ambrosio modulantur ore.
Audi canentes: temporis arbitras
Nihil moramur: Sæua neceßitas
Quas Phœbus æternùm sacrauit,
Fulminibus metuit ferire.
Busto superstes viuit àb inuido
Mens sacra Phœbo; hanc mellifluus latex
Irrorat, æternatq; præsens
Iuppiter ambrosia Deorum.

Musarum patriam canens, non communem hominum patriam tellurem, sed hominem ipsum substantialem, vt ipsissima proferam verba Trismegisti, à quo summi Philosophi, ac Theologi diuina de Deo, mentibus, mundis, hominibus hausere; cuius testimonium simile diuino asserit Lactantius Firmianus lib. 1. diuin. institutionum; scilicet animum (hic Platonicis homo est ipse, corpus verò vmbra hominis) nomine telluris adumbraui.

Additur *Virgo* nàmque animus is Poetæ sacri, & innocens, & pudicus connubium cum vitio non est auspicatus, ideòq; nescit vomerem, nempè morsū carnificis consciētię, quæ culpa laceretur, nō sentit.

Pręterà *Iniuriosis gressibus*, scilicèt affectionibus imis, quæ latentem animi diuinitatem iniustè premere contendūt. *Solis* autem *auratis crinibus*, nimirum Apolinis, siuè intelligibilis Solis optimis influxibus, atq; mentium stellis imperantium patet.

Hìc Gratiarum intellige tres Gratias, quæ àb Orpheo describuntur, Splendorem, Lætitiam, Viriditatem, Splendorem inquā mentis, Lætitiam voluntatis, Viriditatem corporis, atque fortunæ, Hæ verò cum aliqua varietate à Fic. explicantur
cap. 2. in 5. Orationem Conuiuij, cuius Commen. hæc leges verba. Splend. quidem vocat gratiam illam, & pulcritudinem animi, quæ in veritatis, & virtutis claritate consistit. Viriditatem verò figuræ, colorisque suauitatem, hæc enim summoperè in iuuentutis viriditate florescit. Lætitiam

titiam deuique fincerú illud,& falubre,& perpetuum, quod in mufica fentimus oble&amentum.

Cognatæ Nympharum caterua, hæc eft Virtutum Paradifi Nympharum, dicitur cognata, feù alumna, quia vel nafcitur vnà cum fplendore mentis, & lætitia voluntatis, vel vtramque nutrit, an potiùs nutritur? vtrumque rectè dixeris.

Sociat, replicatque faltus additur hoc, quia virtutes in operatione confiftunt, operatio autem motus eft, & harmonicus optima.

Superuolantis flaminis æmula. Intellige fupremum illum Spiritum Domini, qui nafcente mundo ferebatur fuper aquas.

Aera gemellum, quia diuina Sapientia Mundi parens aerem, quo nomine fignificatur Cælum, ac virtutes vno veluti partu enixa eft.

Ode hiftorica de Petro, ac Leone Strozza, quorum Elegia funt inchoata, non abfoluta ponetur fuo loco, fcilicet in opere hiftorico.

De Petro.

CAefaris haud virtus, fortuna at defuit illi,
Ergo dimidium Cæfaris ille fuit.

Ode de Sancto Laurentio.

Hanc puerilibus camœnis modulatus fueram, fed nuper edidi, vt adeò gloriofi Martyris auguftum nomen colerem, cui Laurenti Laureati fafces, & Laurea cæleftis, nó Apollinaris mihi debetur.

DVm rogo Laurens medius crematur
Ignis, & fæuus pia membra pafcit,
Sic ferocem dicitur allocutus
Corde miniftrum.
Adde nunc, lictor celer, adde prunas;
Hæ mihi vernant violæ, rofæque;
O' triumphalem rofeis curulem
Necte corollis.
Victor hac Cæli fuper aftra vectus
Solis æterni fitibundus ignem

Hau-

Hauriam; flammas sitio, minister
Porrige flammas.

De mirabili Tabella Leonardi Vincis Prælegendus Raph. Borghinus in libro inscripto *Il Riposo*, vbi refert, laudatq; versus Vincenti j Pitti j, quorum initium est.

Vinse Natura il Vinci, &c.

VIcit Naturam Vincis, testantur oloris
Carmina; ni credas, hanc tabulam inspicias.
Vix poterit formare pares Natura capillos,
Vix frontem, ac frontis, astra gemella, faces.
In vultu lepor, & charites: in lumine motus
Viuidus; ambrosio risus in ore viget.
Græcia formosam Venerem quid iactat Apellis?
Hanc sordere mihi picta puella iubet.

De pulcherrima Venere marmorea Iac. Sansouini in Gaddio cubiculo, vbi nunc habetur Academia.

ARtifici formata manu, quæ spirat amorem
Marmorea, & fallit corda, oculosq; Venus.
Quid solium fixit, colitur qua Pallas in æde,
Qua Sophia, & Musis septus Apollo sedet?

Sci-

Scilicet in castæ confugit Palladis ædem,
Vitet vt amplexus sacrilegos iuuenis.

Sylua.

Hæc respondet Ode, qua vltrò decorauit me ignotum (hìc honor vel immerenti exhibitus ab alijs capitibus Phœbo dilectis) Leonardus Todeschius Academiæ, atque Vrbis Veronensis decor, de quo edidit Elogium Franc. Pona.

INuidiæ domitrix, vitæ melioris alumna,
Nomina quæ procerum centenis vocibus effers,
Diua, immortali nitidis adamante quadrigis
Tolle supèr Boreæ patriam, Phœbique meatus
Ambrosium Vatem, cithara qui celsa latinæ
Gloria, Apollineo percurrit pectine chordas,
Quem dedit Heroum genitrix Verona, Catulli,
Et Fracastori gemino quæ lumine gaudet
Audin, syrenes (hæc musica turba Tonantis)
Quæ choreas agitant vocalibus vsque canoras
Orbibus, vt geminent prædulci murmure cantum,
Qui bibulas blandè sapientis verberat aures.
Scilicèt inuitant vocali nectare vatem,
Vt pedibus calcans orbis dumeta iacentis
Euolet ad superos animo sublimior orbes,
Carminaque innectat neruis diuina maritis
Ipse lyræ fidicen Cælestis, & alter Apollo
Syderei ductor cantus, choreæq; nouenæ.

Iure, meritoq; appellata est, quæ suprà tot Dynastas & Principes, tot edidit Martiali, & literaria gloria illustres filios, cuius Vrbis præcipuas attigi laudes in Oratorio Elogio Fracastori.

Ad Camillum Bellonum Professorem Philosophiæ extraordinariæ in primo loco.

Platonis, & Aristotelis æquè discipulum; multorumq; nobilium doctorem; mihi verò amicum ob humanitatem, ac probita-

QVa te laude feram Patauini gemma Lycæi;
Et Veneti viuax fulgor, honorq; sali?
Tu latebras pandis Sophiæ, arcanosque recessus

Lu-

Lumen Platonis, lumen Aristotelis.
Non totus moriere, tui pars multa vigebit;
Te Fama æterno nobilis ære canet.

bitatem natiuam, qui me, ac mea poemata suprà meritum, ac spem celebrauerat in publica lectione, non immeritò celebraui hoc Epigrammate.

Prosopopæia Iani de Bella Pop. Florentini Vindicis, ac Patroni.

ILle ego sum Patriæ custos, populiq; patronus,
Domui potentes Ciuium creans ducem,
Seruaui Patriam, libertatisq; cadauer
Animaui amantis cordis igne vitali.
Debita quæ meritis reddentur præmia nostris?
Seruata Patria, restituta libertas.

Descriptio Phari antequam Ponte iungeretur Alexandriæ.

AEquoris in medio fixas lambentibus vndis
Radices, nebulis minitans, Cæloque superbum
Mons caput attollit, cuius de vertice summo
Surgit anhelanti turris contermina Lunæ,
In qua perpetuùm nautæ spes fulgurat ignis
Aequoreæ dux ipse viæ, qui syderis instar
Ducit inoffensas præsenti lumine puppes,
Dum vaga nigranti diffindunt marmora nocte.

Hy-

Hyſpaniæ Proſopopæia de fluuio ſuo reſonante.

IN Cytharæ morem fluuialis perſonat vnda;
Dum Zephyrus plectri fungitur officio;
Non opus Orphæis digitis, non arte parentis
Thebarum; fidicen Aeolus ipſe mihi eſt.

Deſcriptio Noctis.

Tenebras amat Nox, habeat tenebras, non lucem explicationis, aut laudationis.

NOx tenebris armata diem proſternit, amantes
Stellæ cognatis facibus præſigne ſequuntur
Funus, & extincti nebulis velatus, & vmbris
Vrna manet, quæ cuna fuit ſpectabilis aer.

Proſopopeia Auri in Auarum.

At non amat aurum tenebras, quod contigua Proſopopæia in auarum inuehitur iniuſtum iuſtè; *Nulla enim innocenti pæna debetur, & iniuſtus eſt, qui damnat ſceleris inſcium.*

CVr me tenebris Roſpius damnat? mihi
Terris auaris abdito nullus color;
Nulla innocenti pæna debetur mihi;
Qui damnat inſcium ſceleris, iniuſtus eſt.

De Victoria Ferdinandi Regis Rom.

EX Acheronte Stygis Victoria filia falsò
Fingitur, hæc ſummi candida nata Dei eſt.

De-

Descriptio Noctis.

IAm Nox triste caput nectens crinalibus vmbris
Spargebat facili somnia vana sinu;
Iam Dea venatrix cornu munita, ferarum
Agmina per Cæli clara premebat agros:
Florea progenies Cælestibus æmula gemmis
Amittebat inops luminis omne decus.
Siluaq; vocalis cantu viduata phalangis
Parcebat refluis ludere mæsta comis.

Descriptio diei feralè nascentis.

LVcis inops agitat mæstas aurora quadrigas,
Non rosa cognato crines illuminat ostro,
At nigra infuscant vaccinia; tristibus vndant
Ex oculis lacrymæ, lætus procul exulat ardor;
Sol quoque ferali radios velatus amictu
Vmbriferas inter nubes captiuus oberrat,
Sanguineumq; imbrem voluit pro luminis amne.
At micat infausta lethalis luce Cometes
Exitiale minans suspenso scilicèt orbi.
Terrificant dubias horrentia fulgura mentes,
Prælia portendunt bellanti nubila luce,
Ignea dum vasto iaculantur tela fragore.

De Leone Strozza.

VIden? Fulmineis coruscat armis
Inuictus Leo subditi Imperator

Maris, exitiumq; Barbarorum,
Viden? barbaricos refringit enses,
Captiuasque trahit potens carinas,
Et victrix labarum iubet volare
Viden? æquoris Auriam potentem
Subditæ Austriadum rati imperantem
Terret pennigero timore captum
Ite flectere cogit indecorum:
Vt ceruus fugit ille gloriosus
Ductor, scilicet hoc minor leone,
Quem regem veluti timet virorum
Hunc prosternere nescius; vel ipse
Hunc vix sterneret Hercules leonem:

De hoc Heroe celeberrimo nihil addam, cum celebratus fuerit àb alijs, & à me in Elogio Oratorio.

Ode de Barbara Tiliamocha Virgine Poetria & Cantrice.

SI dè supremis Calliope rotis
Aeterna proles sceptriferi Iouis,
Vitale concentu beatrix
Florigeras peteret columnas:
Quis non canoræ nectareum melos
Haurire Diuæ certet; honoribus
Quis non coronet inuidendis
Numen, & obsequio verendum?
Quò me calentem Phœbe potens rapis?
In celsa nunquid mœnia syderum?
Nùm forma regnatrix àb axe
Labitur in patrios penates?
Auditis? aures sydereus quatit

Sonus,

Sonus, catenas necteret amnibus,
Beluasque frænaret rebelles,
Sisteret ac volucrum phalanges.
Illapsa certè in pectora virginis
Mens pura nostræ Calliope canit
Aut virgo mentis æmulatrix,
Musa recens fluitantis orbis.
Sic est, recentem mòx ego carminis
Ducem precabor, auspice qua modos
Vibrare pennatos oloris,
Et socias animare chordas
Fas est: Gigantum cum Ioue prælia
Depingat alter prodiga fulminis;
Aut vsque victrices cohortes
Romulei celebret Senatus:
Aut Barbarorum cladibus inclytum,
Cui Flora mater, Pannoniæ ducem
Pubis triumphantem Scolarum;
Ipse supèr famuluris alas
Famæ volantem te prior euehant,
Facunda virgo, fax noua floridæ
Telluris, æternos honores,
Cui parat Aonidum caterua.

Hic est ille de quo in Corollario, & olim fusius, & accuratius egi historico in Elogio, & Notis.

De Aloysio Cardinali Capponio.

D*Iuitiæ, ingenium, prudentia, fulgor auitus*
Astra super tollunt nomen Aloysij.

Inter egregias dotes huius Card. qui nobilissimũ Rhauennæ olim præpotentis vrbis Archiepiscopatum sustinet, *Fulgor auitus*, quo de scripsi breuiter, ac syncerè in historico Epig. familiæ, & historico in Elogio Nerij nondũ editis: & *Ingenium*, cui par iudicium raro fœdere iunctum; nec impar humanitas, nisi maiorem hanc, vti maximam predicemus.

De Mure Veneto, qui peredit chartam libri Poematum, in quo leges Hendeca syllabum de Mure.

LVSVS.

DVm videt à nostro claratum carmine murē
Quòd cupido chartam legerit ore vorax;
Mus Venetus Florētino æmulus appetit ore,
Atque vorat chartam versibus egregiam.
Excitat hunc ardor famæ, quam carmina donant;
Ambitiosum æuum, muribus ambitio est?

De eodem.

HAuri orbis famæ studium de mure sagaci,
Magnorum capitū nempè magister erit.

Famæ studium, & gloriæ, quæ selectior est fama excellentes plerumq; viros allicit; Optimus enim quisque dulcedine gloriæ delinitur.

Vtraq; magnum est inuitamentum, & calcar acerrimum ad excellentia factu, vtraq; validissimum frænum, & impedimentum turpium facinorum ideoq; orbi expedit viros, maximèq; potentes famæ, gloriæq; studio duci; non tamen immoderato; id enim aliquandò noxium esset humano generi trahens duces, ac Reges ad bella gentibus funestissima.

Epigramma de Venustissimis Veneribus Antonij Bruni.

DVm geminæ Veneris geminos modulatur honores
Arbiter Etruscæ summus, honorq; Lyræ.
Lux fluit Eloquij Phœbo sacrata, canentis
Purius electro flumen àb ore cadit.
Totq; vehit gemmas, quot Cœlum pingitur astris,
Quot Zephyri Flores educat aura patris.
Cur legis Eoi gemmas ò Littoris? amne
Hoc immortali plurima gemma nitet.

In

In Mortem Canonici Gualterottij.

CRudelem irato detester carmine mortem;
Quæ carum caput, heu lacrymando fune-
re mersit:
Iure gemis raptum, genitor clarissime, natum,
Quem fleat effusis Elegeia mæsta capillis,
Quem florum triplex aspergat Gratia nimbo:
Quem lauru condat Musarum turba cauato:
Ille sacri nemoris cultor, Phœbiq; medulla;
Ille patris, grandi annorum qui mole laborat,
Robur erat, columenq; pium, Florentis & ædis
Non postremus honor, meliori at sydere dignus,
Tristia fortunæ perpessus tela nouercæ,
Quæ tamen extincto parcat clementior, oro;
Nec Boreas vatis feret irrita verba precantis:
Ne timeas, Francisce, æterna silentia Læthes;
Humida non operit sacros obliuio Cycnos;
Hæc rapidi mansura feras solatia lethi.

De Cardinali Sacchetto Legato Ferrariæ vaticinium morientis Franci Sacchetti Scriptoris celeberrimi.

FRancus, corporeæ dum vincula rumpere
molis
Incipit, æthereos attollens lumina in orbes
Ore suos hilari affatur, prohibetq; querelas;
Viuite fœlices animæ, multosque nepotes
Longius in dias effundite luminis auras,

De Franco aliquid scribendum reor hic omissi alijs viris illustribus huius nobilissimæ gentis, quæ inter primarias Florentiæ celebranda est.

In nomine Domini adì 9. di Nouembre 1439.

Questo libro compuose Franco di Benci Sacchetti

chetti, e chiamasi libro delle rime, il quale contiene in sè più cose, e massimamente Chanzone moral, Chanzone distese, Sonetti, Ballatte, Madriali, Lettere, Pistole, Chapitoli, &c

Pino Ordelaphio Foroliuij Dño ann. 1398. eodemq; an. Cantio, quæ præscribitur *Canzone distesa di Franco Sacchetti, fatta à Portico di Romagna, doue era Capitano per lo comune di Firenze An. 1398.*

Credite, venturis annis (præsaga videt mens)
Nascetur, qui purpureo præsignis honore
Imperio populos placido frænabit, & urbes;
Illum Pierides, Charitesque ac Phœbus amabit;
Iustitia armabit prudens, prudentia fortis:
Tàm placidum, & facilem in solio mirabitur orbis.
Vera fides vatis verum non omne canentis:
Perficio augurium nunc plenus Apolline vates,
Orbis adorabit triplici diademate nexum.

Hæc retuli ex volumine m. s. an. 1439. exarato, quod àb Iuliano Giraldo patritio, & Academico Florentino seruatur.

Hic Francus erit meo iudicio, qui ab Ammirato lib. 14. hist. appellatur Franciscus, & ob existimationem bonitatis vnus fuisse exceptus dicitur à quodam decreto. Alter verò erit (cùm tot anni intercedant)

Francus, de quo Ammiratus par. 2. hist. m s.

Il passato Gonfaloniere Franco Sacchetti huomo molto eloquente, e Giannozzo Pandolfini per pratticare la pace col Rè &c. Giannozzo Pandolfini l'vno de due Ambasciatori fù dal Rè in questa conclusione della pace fatto Caualiere &c

Et Bart. Facius lib. 9.

Ianotium Pandolphinum, ac Franchum Sacchettum eloquentem virum Legatos ad eum de pace &c.

Catal. script. Flor.

Francus Sachettus Comicus nobilissimus, & Historicus illustris trecentum nouitates dictauit, easq; argutis verbis, exquisitisq; sententijs excoluit.

De Philippo Scolario.

Continuata fuit victoria vita Philippi.

Eiusdem Prosopopæia.

Bella sibi gessit Cæsar, mihi nulla Philippus;
Si mihi bellassem, Cæsar & ipse forem.

Tumulus honorarius.

Siccine mēbra iacēt, ac fulminis æmula dextra
Odrysiæ terror gentis, & exitium?

Qui

Qui tot ab hoste trophæa tulit, nunc ipse trophæum
Mortis, at ex ipsa morte trophæa rapit.
Hostes namque domat fama, bustoque superstes
Viuit adhùc mortis victor, & inuidiæ,

Mirum certè, sed non inauditum, & ab egregijs Scriptoribus traditum, penès quos fides illius stet, quã nec infirmo, neq; confirmo.

Vgolinus Verinus.

NVnc age magnanimi dic inclyta gesta Philippi,
Dic mihi, Musa ducis pugnas, clarosque triumphos,
Qui Marios, Syllamq; æquat, magnosq; Camillos.
Ter decies victor collatis æquore signis
Pannonio innumeras peditumq; equitumq; cateruas,
Sarmaticasq; acies, Turcarumq; agmina fregit,
Cuius Hyperborei trepidant, Daciq; feroces
Nomen adhùc, horrentq; iterùm tentare periclum
Post mortem, tanquam viuentem, Barbarus hostis
Horrebat, tantùm terrebat fama Philippi:
Cautior hoc nullus, nec fortunatior alter
Extitit, huius enim meruit victoria castris,
Et nunquam sorti fœlici industria cessit.

Et Franciscus Verinus secundus Philosophus.

NElla quale ancora fù sì grande Filippo Scolari, ch'egli rimesse in istato il Rè Sigismondo d'Vngheria, & essendo suo Capitano generale, mercè di cotanta sua virtù, ottenne ventitre Vittorie, venti mentre era viuo, & tre dopo morte, tanto era il terrore, che n'haueuano.

Hos æquiores fortè Philippus est sortitus, qui multos veræ virtutis, factorumque ingentium testes grauissimos habuit, qui à nonnullis iniquè carpitur, atque proscinditur falsa infamia; horum præcipuus videtur Pet. Iustinianus, & Sabellicus, de cuius historia Veneta meam sententiam ingenuè feram ea lege, vt àb æquissimis, & prudentissimis iudicibus perpendatur, quos eius adstipulatores forè spero.

Videtur mihi Sabellicus aliquandò breuior, siuè mancus, & minimè accuratus in explicatione rerum, ac temporum, quæ annis nunquam ferè signatis minimè dignoscas in opere tumultuario, ac nimis festinato, nec suis numeris absoluto, vt ipsemet in epistola nuncupatoria Marco Barbadico Principi, & Senatui tradit; Quædam memoratu digna quandoque omittit, maximèq; Venetis parùm decora, aut pudenda, continuata planè commendatione, aut defensione Rempub. complexus, huius studiosissimus, & iuratus amicus, an famulus? Hic à Senatu euocatus, vt Ciuitatis res gestas conscriberet, & trecentis aureis in Gymnasio profiteretur, in hoc munere perutilem iuuentuti operam præstitit, cum in altero adulatione parum sobria (hæc verba Iouij in Elogio Sabellici) rerum veritatem adumbrasse videretur.

LVSVS.

NEpotem produco breuem de gurgite scribens,
Zoile, nec falsò, longior ille fuit.

Nepos scilicet gurges breuis est plerumq; quià breui vel desinit viuere, vel profundere, non tamen (est adeò breuis) quin sit *longior*.

Hoc

Hoc Disticon olìm scribellaui cum scripsissem alterum.

Diuitias effudit aui prædiuitis hæres,
Illius nepos verior vt fieret.

AD VICTORIAM ROBOREAM Magnam Ducem Etruriæ.

Salue, ò Tyrrhenæ regnatrix inclyta gentis;
Salue ò Roboreæ dulce decus sobolis.
Excelso coniuncta Duci, genitura Mineruæ
Heroas, Reges Vrbibus, astra polo.
Sic voueo, sic prædico, sic monstrat Apollo:
Decipiet vatem vates Apollo suum?

De Nerio II. & Antonio II. Acciaiolis fratribus Ducibus Athenarum, &c. de quibus legendum Elogium historicum.

Nobile par fratrum, Graios Dux rexit vterq;
Non simul, alterno tempore sceptra ferens,
Gesserat hæc Nerius, quo pulso Antonius ardens,
Rursus at extincto fratre gerit Nerius.
Nimirum Pollux, & Castor in Vrbe fuisset,
Si fraterna illis gratia, sanctus amor.

Versus is, quia mihi poeticus nimis visus fuit, epigramma totum, cęterà historicū reieci è libro historicorum carminum & Elogiorum. Hinc colligat lector seueritatem, quam adhibui opere in historico.

AD

AD MARGARITAM AB HETRVRIA
Parmæ, & Placentię Ducem.

HEroum soboles, gentilibus aucta triumphis
Me rapis in laudes, Dux celebranda, tuas.
Dia tibi Venus ambrosios afflauit honores,
Fouit & obstetrix pectore dia Charis.
Vix natam eternùm complexa Modestia nutrix,
Texuit atque faber florida serta Pudor.
Artibus egregijs coluit Ioue nata Virago;
Nectare Castalidum proluit alma cohors.
Quid mihi gentiles Heroidas obijcit hospes?
Has Heroinas vna puella refers.

Mea Musa humilis non habebat alas, quibus dignè attolleret heroinam tantam, ideò canoros addit illi calamos Vecchius Græcis versibus euehens, Epigramma faustè donatum ciuitate Attica.

Ad Bartholomæum Vecchium Patr. Senen. Iuris Ciuilis Professorem Primarium.

NOn tria corda tenes, at bis tria iudice Gaddo,
Sex etenim linguis doctior eloqueris.
Soluis & eloquio præstans ænigmata legum,
Iuraq; mente memor concipis, ore paris.
Ciuilis pereant si cuncta volumina iuris,
Instar ciuilis vox tua iuris erit.

AD PRAEPOTENTEM REGEM MAGNAE BRITANNIAE, &c.

SYLVA.

SAlue ò tergemini dominator maxime regni,
Quem triplici titulo insignem, tripliciq; corona
Roborat indomitis prò turribus arbiter Vndis
Vndarum fido famulatus gurgite Nereus;
Qui ferus hostilis frangit molimina classis,
Montibus atq; pares fouet æquo numine puppes,
Quas parit Heroum fœcunda Britannia mater,
Magnorumq; altrix Regnum, quos inter, vt astrum
Fulgebis princeps, ni vatem sydera fallant.
Cerne, tibi vt radiet præsenti lumine Cœlum;
Vt procerum plausus, vt fidi vota Senatus,
Vt populi tutetur amor; tria maxima regni
Præsidia, & Regis mansuræ scilicet arces.
Te nunc insueto velatum pectora peplo,
Artifici quem finxit acu, centumque figuris
Distinxit formans vultus, ac stemmata magnæ
Stirpis, & imperij titulos, fascesq; potentis
Gloria deducet curru sublimis eburno,
Quam sociat Phœbus, soror & iurata Poesis:
Auriga intextum gemmis radiantibus axem
Ducit Honos, dum Consilium, ac Solertia pronos
Frænat equos; agitantq; rotas, velut agmine facto
Iustitia, & molli Clementia blandior agno;
Et quæ largifluo diffundit munera cornu;
Et bellatricis virtus Mauortia mentis.

Pro-

Prosopopæia Arni in laudem Gher. Saracæni Prouisoris Gymnasij Pisani, &c.

QVæ noua fælici spectacula lumine cerno,
Quæ nunc Pisano scena patescit agro?
Dum ciet Ismario Saracænus pectine chor-
Argutæ socians carmina docta lyræ, (das
En sitibunda soni labentes flumina lymphas,
Frænat & aligeros blandior aura pedes.
At dociles agitant Nymphæ per prata choræas,
Dum Charites ludunt, ludit & alma Venus.
Illas ambrosij comitantur ponè lepores;
Hanc amor, & lusus, deliciæ, atque iocus.
Aßurgunt faciles tenero de cespite flores,
Atque aurita petit sylua canentis ebur.
Sceptriferique adsunt posita feritate leones,
Ipsaque nunc cædis nescia tigris adest.
Cornigerique greges adsunt, volucrumq; Phalanges,
Saxaque natali duritie posita.
Non secus, ac dominam resonãs cum fleret adẽptam
Bistoniæ vates rector, honosque plagæ.
Hic per hyperboreas glacies, Rodopesq; pruinas
Noxia flebilibus verberat astra modis.
Scilicet Eurydicen fatali vipera dente
Ad nigra regna Iouis compulerat Stygij.
Tænareas fauces cythara penetrauit amante,
Horridaque Ismarius mænia Persephones.
Insueto victi stupuerunt carmine manes,
Vincitur anguineis fæta Megæra comis:
Exangues lacrymant animæ, precibusque canoris

Orphei Elogium Poet. Hist. ext... pag. 144 intèr Mixta, quod excuseram, antequam legerẽ Gyraldũ, qui Dialog. 2. de Poet. Hist. non pauca tradit de tanto Heroe, quẽ omnis Græcia tanti fecit, vt diuinitatem illi attribueret; cuius caput in Lesbo Oracula dedisse testatum reliquit vterq; Philostratus, cuius Lyra reddidit vocalia saxa Lyrnessi maritima. Omitto, quæ de Orphei columna, & conditorio traduntur, vti quæ- dam

Franguntur rigidi pectora ahena Ducis.
Redditur Eurydices poscenti, dum noua vitæ.
Stamina fatalis ducere Parca iubet.
Iamq; virum sequitur, dedit hanc Proserpina legē,
Sed legis coniux immemor, atque sui.
Respicit instantem reuolutus amore tyranno;
Legibus hic famulos comprimit vsq; suis.
Heu Stygiæ infœlix rupisti fœdera Diuæ;
Heu nimio Eurydicen cædis amore tuam.
Illa ruit Erebi rursus deuota tenebris,
Quæq; semel vixit, bis moritur misera.
Nequicquā prænsas, Orpheu lacrimabilis vmbras,
Non datur amplecti deficientem animam;
Qua moueas prece inexorabile Numen Auerni;
Nempè semel tibi sit restituiße satis.
Fortè Abbas rursum obtineat dulcedine cantus,
Quo potis est ferri frangere duritiem.
Hunc mirata suos cohiberent sydera cursus,
Concentus maior cuius in ore sonat.
Par quoq; nobilitat morum symphonia Vatem
Quos blando virtus temperat obsequio.
Quid mentis referam diuinas carmine pennas
Queis volat astra super, cœlicolûmque choros?
Vnus inaccessi solium venerabile Solis
Scandit, & à lucis fonte bibit radios.

dam Oracula. & falsa (vt verè dicā) miracula. Scil. Aelian. falsa omnia & fabulosa esse, quæ de Orpheo traduntur, censuit; Quid plura? Arist. & Cic. nullum fuisse Orpheum putauerunt. Ideò non referam incertos eius parētes, cum alij Oeagri, & Calliopes, alij Apollinis, & Calliopes, alij Polyhymniæ filium dixerint; incertam patriam, incertam mortem, de qua dissentiūt Scriptores, quorum nonnulli quinque Orpheos numerāt, alij septem, Herodotus duos. De nostro Orpheo, scilicet de primo adduntur alia scitu digna, nimirum fuisse illū literarum, & sapiētiæ inuentorem, Herculis magistrum, qui Astrologiam, & Teletas, & Religiones, & Magicas artes in Græciam adduxerit. Verùm meliora de Orpheo tradit Iustinus Philosoph. & Martyr, ac Suidas, quæ vnà cum illius Operibus Gyraldus refert. Idē Gyrald. immensæ Scriptor eruditionis non pauca refert curiosa, & non paucis literatis ignota de Merc. Trismeg. de quo nonnihil scripseram in explicat Alleg. pag. 13. Coroll. & de Zoroastre, de quo Elog. Orat. pag. 40. Idem in interpretatione Symbolorum Pytag de Animæ alatæ Zorastræo Symbologico quędam tradit, ex quibus faciliùs intelligetur sensus meorum verborum in Elog. Zoroast. *Vitæ aquis animi ætherei alas, &c.*

Flore mentis intelligibile, &c. Hæc sententiæ consonat versui penultimo Elegiæ *Vnus inaccessi Solis*. Nàm *vnus* hic denominatur àb Vnitate illa animæ, quam appellauit Zoroaster *Florem mē-tis*, & Plato *Mentis caput, & centrum animæ*, de qua Vnitate scripsit doctissimè Ambrosius Episc. Lamocensis sic *Vnitatem animæ habes diuinæ vnitatis characterem, qua sola summo intelligibili vnimur, & hæremus.* Ego verò (si mihi homuncioni liceret maximorum Virorum verba variare) sic di-

cerem

cerem S.R.Eccles.Cathol. iudicio hoc,& volumen omne submittens. *Mens, quæ Intellectus superior, & suprema animæ pars est caput, & flos animæ videtur character diuinæ mentis, quo vniamur, & hæreamus diuinæ menti, siuè intellectui, summo intelligibili.*

Cum in hac nota nonnihil egerim de tribus Magiæ peritissimis non erit ab re quandam Dissertatiunculam ad nectere in Magiam Procli à me an. 1630. cursim compositam.

(In Proclum.) Probo magiam Procli non esse veram scientiam, sed potiùs nugatoriam; non enim certa, nedum euidens est, nec per demonstrationem veræ scientiæ genitricem acquiritur; siquidem principia, nec indemonstrabilia, nec certissima, itaut eius assentiatur intellectus, habet, sed potiùs incerta, & intellectui penè repugnantia. Examinemus ea, nec trutina aurificis, atque hoc in primis.

Veteres alia cęlestium, alia terrenorum adhibuerunt, vndè diuinas virtutes in locum inferiorem ob quandam similitudinem perduxerunt, nempè similitudo ipsa sufficiens causa est ad res singulas inuicem vinciendas. Ratio hæc, qua Proclus vtitur, tanquam causa, & principio huius scientiæ, inefficax, & infirma est, nàm hac propositione de similitudinis efficacia vtendum esset, vt vniuersali ad constituendam demonstrationem, ita.

Omnis similitudo est causa sufficiens ad res singulas inuicem vinciendas, sed inter cęlestia, & terrena intercedit similitudo, ergo cęlestia, & terrena possunt inuicem vinciri, maior hæc propositio vniuersaliter accepta est falsa, nam, & homines, aliæque substantiæ habent sibi similes maximè, neque tamen, quæ erunt in Gallia per hanc similitudinem eis, quæ sunt in India vincientur. Immò nec taurus tauro proximus, & similia se videntia, & propè tangentia. Quomodò ergo substantiæ diuersissimi generis per solam similitudinem, quæ nulla ferè esse potest in tanta diuersitate essentiæ, inuicem vincientur? Quomodo terrena vilia attrahent, & quodammodo rapient cęlestia, imò spiritualia, incorruptibilia, & nobilissima entia, quæ nobis terrestrium nobilissimis, ac arbitris perfectiora sunt? Quæro ergo à Proclo qua de causa attrahentur Angeli, & Dęmones, an necessitate, an electione ipsorum? si per necessitatem, afferet, absurdum videtur longè perfectiora, & sublimiora à minùs perfectis, & inferioribus cogi, si pèr electionem, quomodo statuet stabile fundamentum huius scientiæ magicæ in aliorum electione, quæ potest nolle æque, ac velle, ideoq; de contingentibus, quorum nulla certa veritas, statuere principia, & conclusiones verissimas, adeoq; certas, vt pariant scientiam? At dicet fortasse Proclus Angelos istos, & Dęmones à superiori quodam numine ordinatos ad bonum vniuersi, ad custodiam, regimenque, ac illustrationem hominum, præcipuè magorum, cogi, aut amica quadam vi impelli; huic respondere licet, si sunt rectores, illustratores hominum, ergo hominibus potentiores, ac sublimiores, ergo minus potentibus, & inferioribus non seruient, sed imperabunt potiùs Angeli, Dęmonesq; ipsi; Naturæ verò altioris, & perfectioris, quam sint homines, esse Angelos certum est; esse ipsos etiam Dęmones facilè probaretur neganti, ab eorum essentia ab infima fece materiæ remota, à celeritate, & præstantia operum nobilissimorum.

Posset concedi Proclo, superiora attrahere inferiora, sed non è contra; Attrahere enim est quodammodo dominari, quod conuenit superioribus, non inferioribus

Hanc non absolui.

Lusus non falsus.

DVm fessa irriguo mulcebam pectora somno,
Ante oculos visa est candida turba meos:
Turba vale, aiebam, non muto scilicet ore,
Namque vel in somnis edere verba queo.
Testis, qui stupidus sitienti non semel aure

Exce-

Excepit domini mollia dicta sui
Ipse vigil famulus, numerosq; vel inscius hausit;
Carmina nàm cecini; somnus Apollo mihi.
I nunc, qui gemini ditatur Apollinis aura,
Phœbæum vatem, Zoile inique, nega.

In Scelestum.

QVid molire nefas? tacito pede pæna nocentes,
Criminis ac vindex ponè Deus sequitur.

MAGNI HENRICI IV. Galliæ, & Nauarr. Regis.

VIRTVS MILITARIS.

QValis Threycij regnator barbarus axis
Armatus rigidas glaciali frigore pennas
Impete fulmineo syluæ frondentis honorē,
Et ruris populatur opes, & sydera veris;
Nubis vt obstantis soboles ignita, Gigantum
Torsit in exitium quam dextera Numinis vltrix,
Ardua monstriferæ laniauit membra parentis,
Culmina syderibus feralè minantia sternens.
Qualis & ignito rabidus crudescit Orion
Ense, reluctantes validus prosternere turmas,
Sic rotat herculeis fatalem viribus hastam,
Sic gladio discerpit equos, telisque rebelles
Transfigit ternos; diuerberat aera nunquam,
Irrita nulla cadunt lethali spicula dextra.

DE FERDINANDO Erneſto Hungar. ac Boem. Rege optimo.

Mars, & Mercurius violato fœdere certāt,
Hic ſibi Fernandum vindicat, ille ſibi.
Ingenium, eloquium, doctrinæ munera, linguas
Scilicèt Herneſto Mercurius tribuit.
Ignem animi, cordis robur, dextræque trophæa,
Scilicèt Herneſto Mars dedit armipotens.
Ecquis diſsidium dirimat, litemq; Deorum?
Atque toga, atq; ſago maxima Pallas adeſt.

Parafraſi del Sig. Aleſsandro Adimari.

PVgnan Mercurio, e Marte; ogn'vn di loro
Per ſe medeſmo il Gran Fernando chiede;
Lingua, ingegno, ſauer, ſenno, & alloro
Ad Erneſto gentil Mercurio diede.
Deſtra ardita, alma inuitta, aſte, arme, & oro
Ad Erneſto ſouran Marte concede.
Tanta lite à finir chi fia poſſente?
Con l'armi, e col ſauer Palla è preſente.

In hoc epigrammate, quod maximè poeticũ videtur, nihil poeticum eſt prętèr ſtylũ, & inuentioné, cum res laudatas deduxerim (omitto aliorum teſtimonia) ex erudita, & ampliſſima relatione Epiſcopi Caraphæ, Nuncij Pontificij de ſtatu Imperij, ac Germaniæ ad Vrb. 8. an. 1628. in qua maximè laudat iudicium, prudentiam, religionem, pietatem, & cognitionem ſcientiarum, ac linguarũ, quibus excellit inter ęquales Reges, cuius maximũ aulę Pręfectum, Baronem Tonenſem Equitem Hieroſolymitanũ pariter celebrat.

Hoc Epigramma, qualecumque ſit, fortunatiſſimum euaſit, cum inclaruerit gemina Paraphraſi, altera Gręca, quam Barth. Vecchius compluriũ cognitione linguarum, ęquè ac doctrina multiplici excellens, altera Etruſca, quã Adimarius aliàs laudatus concinnauit; fato id prudentèr diſponente factum videtur, cum non vna ſit celebrandus Rex lingua, qui plures linguas callet, pluribuſque virtutibus exornatur, itã vt merito nupèr in Cęſareę maieſtatis ſolium aſcenderit, de quo alibi fuſius, & ornatius ago.

De Pytia æde à Luca Vexillif. ac Equite clariss. à fundamentis excitata, quam consecutis inde temporibus M. E Duces amplificarunt, & amplificant continenter adornatam regio splendore.

CVm suprema potens ad sydera tolleret author
Limina, Cæsareis æmula liminibus:
Surge (ait) æternum nostri decus, inclyta moles
Et nunquam Pytium deserere fida genus.
Nostros perpetuùm dominos tueare nepotes
Sit regina tibi Pytia posteritas.
Ludit at euentus (mirari parcite) Vatem;
Non dedit Oraclum Pythius, at Pytius.

Dum hæc pagina sub prælo erat, prodiere in lucem Lucij Beatiani Notæ ad Poematia nonnulla Corollarij, sanè doctę, sed erroribus fœtæ incuria (vt reor) Typographi Interamnæ.

In mortem Baccij Bandinelli Academici, & Scriptoris eruditi.

ERgone ferali, mors execrata, securi
Sic furis, & carum diripis atra caput?
Non te Religio flectit, moresq; pudici,
Non probitas nullis contemerata notis?
Non semptemgeminis doctrinæ intexta catenis,
Qua plures vigilans condijt ille libros?
Fæcundus sine prole parens eduxit in auras
Natos, hi nullo sydere dispereant.
Auguror; æternum vitæ immortalis honorem
Extincti natis Pallas amica dabit.

De Fonte in Sicilia.

IGnis aquæ mixtus Fontem diſcriminat, in quo
Ad ſummum flãmas ſalientes cernis ab imo;
Eſt aqua frigidior glacie, nec feruet ab igne,
Ignis & illæſum feruorem à frigore ſeruat;
Scilicèt vnda igni fraterno fœdere nexa eſt.

De pulcherrima hiſtoria Belgica, quam nuper in lucem edidit, mihiq; dono miſit Eminentiſs: ac Reuerendiſsimus Card. Bentiuolus.

BElgarum domitor per te Farneſius Heros
Viuit ad huc, Latijs factaq; digna tubis.
Martia victuris annalibus inſeris acta,
Quæ non Læthæi fluminis vnda premet.
Inuideant Orbis Reges, Regumq; Senatus
Romuleus, tanto qui caruit calamo.

In N. cui crebra mentio Iouis patris.

SAepè Iouem cur patrem appellas? non potes vnquam,
Cum ſis Neptuni filius, eſſe Iouis.

De puero Triuulto: fictum nomen, & argumentum.

MArtis habet, Phœbique, simùl Triuultus Amoris
Vultum hìnc Triuultus dicitur ille puer.
Fœcundi nitor ingenij pro lumine Phœbi est;
Instar Martis eum Martius ardor agit.
Ambrosia æthereum sed forma figurat Amorem;
In vultu vultus cernitur indè triplex.

Descriptio diei nascentis.

IAmq; Aurora diem parit alm olumine fœta;
Obstetrix fouet hora diem, leuis aura ministrat
Nascenti roseas Cœli sub vertice cunas.

DE SERENISS. CAROLO verè Primo Duce Mantuæ Montisferrati, &c.

SI Ducis exemplar perfecti cernere tentas,
Mantuam duplici lumine cerne Ducem.

AD LEONORAM Gonzagam Auſtriam Auguſtam.

Epigramma.

Cæſareum tibi deuincit diadema capillos,
Auguſta, heroæ fax radiata domus.
Numinis æterni ſimplex te filia veſtit
Relligio, pingit gratia dia genas.
Mitis ſydereo maieſtas regnat in ore.
Cor niueum probitas intemerata regit.
Seruat & integram Regina Modeſtia formam,
Arbiter ac mentis fronte niteſcit honor.
Cætera quid referam? radiat iucundius in te
Arcano pulcri quicquid in orbe viget.

Hanc Heroinam maximè laudat Carapha Nuncius Pont. in Relacione aliàs laudata, & pręcipuè dum ſcribit hæc verba maximi ponderis. *Quanto alla Pietà, e Religione pareggia il marito.* *Heroæ domus, &c.* Gonzagam gẽtem verè Heroicam eſſe cognoſcet quiſquis legerit ſcriptores ferè omnes Italiæ recentiores, & Elogium Aloyſij Gonzagæ Rodomontis pag. 178.

F I N I S.

SI quis in hoc opere offenderit Fortunam, Fatum, & alia id genus verba, ſciat his me vſum fuiſſe ſcriptorum, maximèq; Poetarum, & in eo ſenſu, qui admittatur à Sacris Theologis. Equidem intellectum, voluntatem, & ſcripta mea omnia volens, & libens ſubmitto irrefragabilibus Decretis Sacroſanctæ Religionis, atque Eccleſiæ Apoſtolicæ, Catholicæ, Romanæ.

00564350 3
00564350 4
00564350 5

